This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Br 73.2.13
*



James Dearden

45-3
26 47

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

VE RI TAS

ROM THE BEQUEST OF
E FRANCIS PARKMAN
(Class of 1844)
OF BOSTON

CAXTON SOCIETY,

FOR THE PUBLICATION,

IN A CHEAP AND COMMODIOUS FORM,

OF CHRONICLES AND OTHER WRITINGS

HITHERTO UNPUBLISHED,

ILLUSTRATIVE (PRINCIPALLY) OF

THE HISTORY AND MISCELLANEOUS LITERATURE

OF THE MIDDLE AGES.

RULES AND OBJECTS OF THE SOCIETY.

1. The members of this Society pay no annual subscription, but engage to purchase one copy of all books published by the Society. No member of the Society incurs any liability or expense beyond the purchase of one copy of such book, as before stated.
2. Works which have already been published, will not be printed, except in peculiar cases; and any member, who pleases, may decline to take a copy of such book.—Such works, however, as have been published only in part, will be considered as coming within the objects of the Society, and complete editions of them will be given without delay.
3. The expense of printing and publishing will be defrayed out of the proceeds of sale, and all the money which shall remain, over and above such expense, shall be paid to the persons who have acted in editing MSS. published by the Society.
4. All persons desirous of supplying transcripts of Manuscripts for publication, and of acting as editors to the same, are requested to communicate with the Publisher.

Persons, wishing to become members, are requested to send their names and addresses to

MR J. R. SMITH,
Agent and Publisher to the Society
No 4 OLD COMPTON STREET, SOHO SQUARE, LONDON.

ALREADY PUBLISHED, OR IN THE PRESS.

GALFRIDI MONUMETENSIS Historia Britonum; edited by Dr Giles, 1 vol. 10s

ANECDOTA BEDÆ, LANFRANCI et aliorum; edited by Dr Giles, 1 vol. 10s

HERBERTI DE LOSINGA Epistolæ; edited by Colonel Anstruther, 1 vol. 8s

GAIMAR, Estorie des Engles, HAVELOK and HEREWARD; edited by T. Wright, esq. 1 vol. 12s.

WALTERI ABBATIS DERVENSIS epistolæ; edited by Mr C. Messiter, 1 vol. 4s. 6d.

BENEDICTI ABBATIS PETRIBURGENSIS DE VITA ET MIRACULIS S. THOMÆ; edited by Dr Giles, 1 vol. 10s.

ALANI TEWKESBERIENSIS Scripta; edited by Dr Giles, 1 vol. 5s.
RADULFI NIGRI Chronica duo ab initio mundi ad A. D. 1189; edited by Colonel Anstruther, 1 vol. 8s.
HENRICI de Silgrave Chronicon Angliæ, edited by Mr C. Hook, 1 vol. 4s. 6d.
REVOLTE du conte de WARWICK; Lettre Française sur MARIE I; and Petite CHRONIQUE du siège d' ORLEANS, edited by Dr Giles, 1 vol. 3s. 6d.
GALFRIDI LE BAKER DE SWINBROKE Chronicon Angliæ, edited by Dr Giles, 1 vol. 10s.
CHRONICON ANGLIÆ PETRIBURGENSE, ad A. D. 1367, edited by Dr Giles, 1 vol. 6s 6d.
PETER HEYLIN's Memorial of Waynflete, &c. edited by Dr Bloxam, 1 vol. 5s. 6d.

ORIGINAL MEMBERS.

Rev. Dacres ADAMS, Bampton, Oxfordshire.
Sir Ralph Abercrombie ANSTRUTHER, Bart, Balcaskie, Fifeshire.
Colonel ANSTRUTHER, 4 Chepstow Villas, Bayswater.
Rev. Dr BLOXAM, St. Mary Magdalen Coll., Oxford.
Rev. Dr BOSWORTH, 9 Southampton Street, Bloomsbury.
Beriah BOTFIELD esq., 9 Stratton Sreet.
W. Downing BRUCE esq., 11 Fludyer Street, Whitehall.
David EVANS esq., 4 Mornington cresc., Hampstead rd, London.
Rev. Dr GILES Bampton, Oxfordshire.
Rev. J. D. GILES, M. A., Beaulieu, near Boston, Linconlsh.
S HALKET, esq., Advocates' Library, Edinburgh.
Mr C. HOOK, 4 Southampton St., Camden Town, (Copyist &c.)
Rev. J. S. HOWSON, Princ. of the Collegiate Institution, Liverpool.
Rev. Dr HUME, Liverpool.
Rev. Dr INGRAM, President of Trin. Coll. Oxf.
Count Godes de LIANCOURT, London.
Robert LAURIE esq., Doctors' Commons.
Mr J. W. LENG, 5 Saville Street, Hull.
Library of the WRITERS to the SIGNET, Edinburgh.
Rev. C. A. MARRIOTT, Oriel College, Oxford.
Rev. W. D. MACRAY, esq., New Coll., Oxford.
MERTON College Library, Oxford.
Rev. Dr MOBERLY, Head-master of Winchester School.
Philip MURE esq, Shirly Lodge, Croydon.
Right Rev. the LORD BISHOP of OXFORD.
Rev. Dr ROUTH, President of Magd. Coll. Oxford.
Sir Francis PALGRAVE, Rolls Court, Chancery Lane, London.
Sir Thomas PHILLIPS, Bart, Middle-Hill, Broadway, Worcester.
Rev. J. SMITH, Caius College, Cambridge.
Rev. Arthur STANLEY, University College, Oxford.
Rev. E. STOKES, M. A., Christ Church, Oxford.
Dawson TURNER esq., Great Yarmouth, Norfolk.
T. WRIGHT esq., M. A., 24 Sydney Street, Brompton.

PUBLICATIONS, 13

OF THE

CAXTON SOCIETY.

RADULFI NIGRI CHRONICA.

Radulfi Nigri Chronica.

THE CHRONICLES

OF

RALPH NIGER,

NOW FIRST EDITED BY

LIEUT.-COL. ROBERT ANSTRUTHER.

LONDON:

PRINTED FOR THE MEMBERS OF THE CAXTON SOCIETY.

1851.

Br 73.2.13



G. F. PARKMAN FUND

PREFACE.

Ralph Niger was born, according to Tanner, in the town of Bury St Edmund's in the county of Suffolk, and was educated in the same town. He was early distinguished for his studious habits, and became in time one of the most learned men of his age. In his Preface to the second part of his *Moralia in libros Regum*, he says that Gerard Pucelle was his teacher, and he appears also to have been intimate with the celebrated John of Salisbury. See Johannis Saresberiensis Opera, 8vo edit. 1848.

The engrossing topic among the clergy of those days was the quarrel between Henry the second, and the famous Thomas à Becket, archbishop of Canterbury. It was almost unavoidable that ecclesiastics should join either the one party or the other. Ralph Niger espoused the cause of the archbishop, and, as the necessary consequence, became an object of hatred to the king. He was at length accused be-

fore Henry the Second, attainted of high treason and sent into banishment.

In revenge for this treatment, he wrote those invectives against Henry, which the reader will find, at the end of his second chronicle, page 164 of the present volume.

The works of this writer have been differently enumerated by different bibliographers. The list which Pits gives of them in his work *De Angliæ Scriptoribus*, page 291, is as follows:

CHRONICON SUCCINCTUM A CHRISTO INCARNATO USQUE AD ANNUM 1213, Librum unum. *Etsi succensere sibi neminem conveniat.*

CHRONICON A CONDITO MUNDO, Librum unum. *In principio creavit Deus cœlum.*

DE REGIBUS ANGLIÆ A GUILLIELIMO PRIMO, Librum unum.

SUPER PENTATEUCHUM, Libros septem. *Microcosmas minor Mundus est.*

SUPER HISTORIAS REGUM. Libros quatuordecim. *In Canonica Scriptura Bibliæ.*

SUPER LEVITICUM, Librum unum.

EPITOME IN PARALIPOMENON, Libros duos.

PANTHEOLOGICON, Librum unum.

HEBRÆORUM NOMINUM INTERPRETATIONES, Librum unum.

REMEDIARIUM IN ESDRAM, Librum unum.

De QUATUOR FESTIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, Librum unum.

DE RE MILITARI, Librum unum,

DE TRIPLICI VIA PEREGRINATIONIS HIEROSOLYMITANÆ, libros quatuor. *Militia Christiani hominis est.*

DE REBUS GESTIS REGIS JOHANNIS, Librum unum. *Victorissimo Anglorum Rege Ricardo.*

INITIA REGIS HENRICI TERTII, Librum unum. *Defuncto Johanne Anglorum Rege.*

The two chronicles first mentioned in this list, are those which are printed for the first time in this volume. Pits says that the second of them occurs in a manuscript belonging to Corpus Christi College, Cambridge. The treatise *Super Leviticum,* he says, is at New College, Oxford, *De Re Militari* and *De triplici via &c.* at Pembroke Hall, Cambridge. To the *Pantheologicon* he affixes the name of Ralph archdeacon of Gloucester, which makes it doubtful whether this was not a different person from Ralph Niger, who, as far as we know, was never archdeacon of Gloucester. The treatise *De rebus gestis regis Johannis* is merely a chapter out of the work of Roger de Wendover, and occurs in a modern MS. at Paris. The *Initia regis Henrici Tertii* is probably of the same kind, but I cannot speak with certainty.

From this review of Ralph Niger's works, it appears the most important of them are the two historical treatises printed in this volume.

CHRONICON I. The first of the two tracts contained in this volume, designated as CHRONICON AB INITIO

MUNDI AD A. D. 1199, * and beginning with the words *In principio* &c., is found in a manuscript belonging to the British Museum [Cotton, Cleop. C. 10]. I am not aware of there being any other copy of it in existence. The writing of the MS. is of the 13th century, and the rubric at the beginning, RADULFUS NIGER HUJUS CHRONICÆ AUCTOR, is of the same date as the rest of the writing. The authorship of the work seems to be ascertained by the notice which the writer makes of his own works, at page 97, where occur the words SCRIPSIT ET HÆC CHRONICA.

CHRONICON II, A CHRISTO NATO AD REGNUM HENRICI SECUNDI REGIS ANGLIÆ. This occurs in another MS. of the British Museum, [Cotton, Vespas. D. 10] from folio 1 to folio 32, where it is followed by some short historical annals occupying from folios 32 to 35, and then come ADDITIONES MONACHI DE COGISHALA from folio 36 to folio 42. The remainder of the volume is occupied with what appears to be the chronicle of another monk commonly called RALPH OF COGGESHALE. As it is intended hereafter to edit this latter work uniformly with the present volume, I forbear to speak further of it in this place, but the two short intervening pieces occupying, as before observed, folios 32—42, have been, for the sake of completeness, added to this volume. The authorship of CHRONICON II is alluded to in the words, occurring at page 166, "Hucusque protraxit hanc chronicam

* There may be some doubt about the accuracy of this date.

magister Radulfus Niger &c." by which it appears to be implied that so far verbatim is the work of our author; but all that comes after those words, including the two short separate historical tracts, is to be ascribed to some one or other of those numerous monks, who, in the various abbeys, copied out previous works, adding notices of their own, sometimes in the shape of a regular continuation or appendix to the original work, sometimes in the shape of disjointed annals, like the two now before us. Whether these two pieces were added by RALPH OF COGGESHALE, as he is specifically termed, is a question which we have no means of determining. It is necessary to remark one circumstance concerning the work CHRONICON II, as it is found in MS. Cotton Vespas. D. 10, which may be of some critical importance. Several sentences of it are written in the margin of the manuscript; some of which, it is true, appear to have been omitted from the body of the text by an error of the copyist; but others are evidently additions to the text; whether made by the author himself, or by some other person, we cannot now determine. All such passages are enclosed in brackets in this edition. It may also be remarked that there is a manuscript in the Heralds' College, Doctors' Commons, [Arundel XI] containing Ralph Niger, and Ralph of Coggeshale, with the intervening anonymous tracts, precisely as they occur in the Cotton manuscript of the British Museum. I have not been able to collate the text, as now printed, with

this MS., though probably a few passages of the text might have been corrected, if I had had time to do so.

Lastly: the reader will notice that occasional reference is made in the notes to another Museum MS. [King's 13. A. XII.] This volume, which is of a later date than the preceding, contains the whole of Ralph Niger's chronicle, beginning *Etsi succensere* &c. followed by the whole of Ralph Coggeshale's, woven into one continued series of annals. As the publication of this volume seems to be desirable, and may hereafter be accomplished, I have foreborne to make much use of it for the purposes of the present work.

Little need be said about the mode adopted in editing this volume. In the second chronicle all proper names have been printed as they are spelt in the manuscript, but the same plan was not adopted in printing the first of the two chronicles. It is perhaps doubtful whether the advantages of doing so are of much consideration.

RADULFI NIGRI

CHRONICON

AB INITIO MUNDI AD A. D. 1199.

RADULFUS NIGER HUJUS CHRONICÆ AUCTOR.

In principio * creavit Deus cœlum et terram, et in operibus sex dierum complevit ornatus eorum; et die sexto creavit hominem, et formavit eum: masculum et fœminam creavit eos, Adam et Evam, et conjunxit matrimonio instituto in paradiso. Originalis vero peccati culpa, ejecti de paradiso Adam et Eva, habito demum carnali commercio, genuerunt Caim et Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Caim agricola. Quum autem offerrent Deo munera de primitiis suis; quia respiceret Dominus ad munera Abel, invidit Caim, et occidit Abel fratrem suum. Profugus igitur Caim a facie Domini, de uxore sua genuit Enoc, qui primus civitatem ædificavit, et vocavit eam Enoc. Et Enoc genuit Irath, et Irath Manuel, et ille Matussael; qui genuit Lamech. Ille dicitur cæcus factus, quum

* The chroniclers always began their narratives with the creation of the world. These prefatory portions are generally omitted by editors, but Ralph Niger's chronicles are so short that it seems unnecessary to abridge.

duceretur a puero venatum, occidisse Caim latitantem inter frutecta, ad motum foliorum directa sagitta ejus. Avo agnito, occidit et puerum ducem suum, quum occidisset Caim ejus directione contra Dei mandatum. Veruntamen hæc traditio est Judæorum, nulla canonicarum scripturarum fulta primordiis; et videtur mirum si tot nepotum temporibus vixit Caim, usque ad hunc Lamech. Hic enim bigamiam introduxit, et de Adda genuit Sabuael qui fuit pater habitantium in tentoriis, et pastor ovium; et Jubal, qui fuit pater canentium cithara et organo. De Sella genuit Tubalcaim, qui fuit malleator et faber, in cuncta opera æris et ferri; et Noemmam sororem ejus.

Hæc generatio Caim profluxit usque ad diluvium; in quo propter iniquitates suas tota periit. Interempto igitur Abel, et fugato Caim a facie Domini, posuit Dominus semen aliud pro Abel. Cognovit enim Adam uxorem suam Evam, et genuit Seth; de quo natus est Enos, qui cœpit invocare nomen Domini, et genuit Chunan, qui genuit Mahalehel, a quo ortus est Jareth, qui genuit Enoc. Iste justus fuit, et a Domino translatus esse dicitur in paradisum. Unde venturus esse præconatur, novissimis diebus, cum Helya, ad confligendum cum Antichristo.

Enoc autem genuit Metussalem qui genuit Lamech, de quo ortus est Noeh, qui fuit vir justus in generationibus suis, et genuit tres filios, Sem, Cham, et Japheth.

Quum autem cœpissent homines multiplicari super terram, et cogitatio eorum intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit Dominus quod hominem fecisset, et statuit eum delere. Quia vero invenit Noe gratiam coram eo, præcepit ei ut archam faceret, et materiam et modum et causam ei determinavit: materiam de lignis levigatis et bitumine; modum secundum dimensiones certas et mansiones; causam, ut in ea salvaret semen hominum et animantium super terram, ne diluvio periret. Introduxit igitur in eum se et uxorem suam et filios suos, et eorum uxores; et ex omnibus animantibus mundis septena et septena, et de immundis bina et bina, masculum et

feminam. Facto igitur diluvio, anno DC vitæ Noe, et demum finito mense VII, vicesima septima die mensis, quievit archa super montes Armeniæ. Et aperta fenestra, emisit corvum XLo die. Qui quum forte non rediisset, emisit et columbam. Quæ quum non invenisset ubi requiesceret, rediit ad archam. Expectatis igitur VII diebus, emisit iterum columbam, quæ et rediit ad vesperam, portans ramum olivæ in ore suo. Exivit igitur Noe de archa, et ædificato altari, obtulit holocaustam Domino. Qui placatus pepigit fœdus cum illo, posita iri in cœlo, ne ultra pereat homo diluvio.

Cœpit ergo Noe vir agricola esse, et plantavit vineam; et inebriatus vino, obdormivit, et nudatus est in tabernaculo suo. Videns autem Cham verecunda patris sui, nunciavit fratribus suis. Qui, sumentes pallium, retro cedentes, aversis vultibus, operuerunt patrem suum. Evigilans igitur Noe, et edoctus quod fecisset Cham, maledixit Canaan filium ejus, et subjecit servituti fratrum ejus, et benedixit Sem et Japhet. Et impletis 950 annis, mortuus est. Filii Japhet, Gomer, Magoc, Madai, Javan, Tubal, Mosoc, Thyras; ex quibus multæ gentes exierunt. Filii Cham, Chus, Mesraim, Phut, Canaan; Filius Chus est Nembroth, qui cœpit esse potens in terra, venator robustus, et oppressor hominum, et fuit principium regni ejus Babylon, et Arath, et Archat, et Calumpne in terra Sennaar.

Canaan genuit Sydonem et Etheum, Jebuseum quoque et Amorreum, et Gergesseum, Evehumque et Arucheum, Asmeum vel Eineum, Aradnum quoque et Samareum, et Amatheum. De his ortæ sunt gentes, quæ inhabitaverunt terram, quam Deus promisit filiis postea Israel, quas et ejecit coram eis.

Filii Sem, Elam, Assur, Arfaxat, et Lud, et Aram. Arfaxat vero genuit Sala, et ille, Heber; a quo natus est Phalec; et in diebus ejus divisa est terra. Quum ab ædificata turri Babel facta est confusio labiorum, in ultionem Domini contemptus, Heber linguam pristinam patrum suorum obtinuit, et genuit Reu vel Raguel, Raguel genuit Saruch, de quo ortus est Nachor, qui genuit Thare patrem Nachor, et Aram, et

Abram. Ab Assur vero egressi sunt Assyrii, quorum longe postea fuit rex Ninus, cujus tempore ortus est Abram, et Abram, et Nachor. Quotus vero fuerit ab Assur, et qua generatione, et quibus personis interpositis, nulla quæ ad nos pervenerit declaratur historia. De Nino tamen dicitur, quia condidit Nineve. Historia vero Genesis habet quod Assur condidit Nineve, et Rezen, inter Chale et Nineven. Quia vero Assur exiit de terra Sennaar, et tum personæ tum populi nomen est, non satis liquet utrum a stirpe Canaan et ab origine Sem natus fuerit; nisi forte verum sit quod stirps Nembroth ejecerit ab ea progeniem Sem. Quia vero constat de Nino quod venerit ab Assur, non impeditur historia; quoniam idem Assur potuit a Sem fuisse, et de terra Sennaar exivisse.

Assyriorum autem regnum obtinuit consequenter per tempora 36 regum, usque ad Sardonapallum, per 1300 annos a Nino filio Semiramis, qui primus idolum fecit, occasione statuæ Beli patris sui, quam adorari constituit. Hujus igitur Nini 43o anno natus est Abraham patriarcha : a quo ritus et religio circumcisionis sumpsit exordium. Iste quum esset 75 annorum, a Chaldæis qui colerent ignem et alias effigies Deorum, migrare coactus est in terram Canaan, relicta gente et patria propter professionem cultus unius Dei, qui evacuaret omnem alium ; quum solus et unus tantum Deus adorandus est. Hujus fidei merito accepit gratiam ex promissione quod in gentem magnam futurus erat; et quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes. Denique, accepit mandatum quatenus ipse cum omni posteritate sua circumcideretur; non quia aliquid superfluum esset in homine, quod Deus fecisset, sed ut inter alias gentes eo signo corporeo internoscerctur ejus posteritas.

Quum igitur senior esset, genuit Isaac, et eum octavo die circumcidit. Qui tamen post Hymael, filium Agar, unde prodiit origo Sarracenorum, circumciderat. Demum vero Dei mandato, quum vellet eundem Isaac in monte Moria immolare, ostenso sibi ariete, mutavit sacrificium; unde Isaac postea

jam sexagenarius, genuit Esau et Jacob patriarchas, originem Idumææ gentis, et Israeliticæ.

Circa hos tamen dies natum est regnum Argivorum; cujus primus rex Inachus fuit, cujus filia Io, quia bene populum rexit et literas docuit, dea appellata est.

Jacob nonagenarius genuit duodecim patriarchas; quorum unus, Joseph, a fratribus suis venditus in Ægyptum. Famis tempore, sæculo sterilium annorum, patrem suum cum 72 animabus venientibus ad eum benigne recepit. De hac origine in brevi nata est Hebræorum multitudo. Quæ quum ob sui incrementum premeretur, educta est a Moyse per mare Rubrum siccis vestigiis. In quo Pharao persequens, submersus est cum omni exercitu suo, reductis maris aquis super eum.

Quod accidit prope ea tempora, quum Apis, rex Argivorum transvectus est navibus in Ægyptum, et postea a sepulchro suo, quod Serois dicitur et in veneratione habetur, Serapis dictus est. Cujus filius Argus fuit; a quo Argivi sunt appellati.

Populum denique Hebræorum traduxit Moyses per desertum, præeuntibus eum columna nubis per diem et columna ignis per noctem, per quadraginta annos. Dux populi fuit tempore Cycropis, qui Athenas condidit; quo Minerva pro dea habita fuit, id est Sapientia; quo etiam Prometheus egregius doctor fuit sapientiæ; et Atlas astrologus, et Mercurius, inventor multarum artium. Tunc et fuit Phaetontis fabulosum incendium et Deucalionis diluvium.

Sub Curnaone, qui successit Cecropi, Moysi Josue filius Nun successit. Qui traduxit populum ultra Jordanem, et distribuit ei terram Canaan in hæreditatem. Hoc tempore Liber dicitur ostendisse vitem hospiti suo in Græcia; et Europa rapta, genuisse Minoa et Sarpedona, et Rhadamantda; et Busiris hospites suos immolare dicebatur; et Latonam peperisse Apollinem; et Bacchides mulieres fuisse; et Perseum et Andromedam interiisse.

Post Josue fuit populus sub his Judicibus per successionem, Othoniel, Aioth, Delborah, Gideon, Abimelech, Tholah,

Jair, Jepte, Abesa, Lapidot, Sanson, Eli, Samuel, qui regem unxit Saulem. Post Josue octo annis servierunt Hebræi alienigenis, quos Othoniel liberavit, et primus judicum 40 annis judicavit. Post hunc servierunt 18 annis, qui junguntur annis Aioht, qui eos liberavit, et judicavit 80 annis. Post Aioht 20 annis servierunt, donec a Deborah et Barac liberarentur.

Fuit Othoniel de tribu Judah; Aioth de tribu Ephraim, et Deborah; Barac vero de tribu Neptalim. Hi 40 annis judicaverunt. Post Barac servierunt annis 7; qui annis Gideonis conjunguntur; qui, liberator eorum, judicavit 40 annis; Abimelech, filius Gideonis, tribus annis.

His temporibus Priamus regnavit post Laomedontem.

Jair judicavit 22 annis; et post Jair servierunt 18 annis, qui adduntur temporibus posteriorum judicum. Jepte 6 annis judicavit; Esebon, 7 annis; et post eum Aelon 10 annis. Sed hi duo non habentur apud LXX interpretes. Post Aelon vero judicavit Labdon 8 annis. Et post Labdon servierunt 40 annis; qui posterioribus temporibus applicantur. Sanson 20 annis judicavit. Post eum Heli sacerdos, quem Fineem fuisse tradunt Hebræi, judicavit 40 vel 20 annis. Heli vero mortuo, arca Domini possessa est ab alienigenis, donec urgente flagello Domini redderetur. Demum vero 20 annis fuit in domo Aminadab.

Circa ea tempora, prius judicante Laudon capta Troia et deleta, Æneas cum 20 navibus venit in Italiam. Finito demum tempore Judicum, succedente Samuele, post Heli, ab insolente populo expetito rege, unxit Samuel Saulem: et conregnaverunt 40 annis. Prævaricante vero Saule in regimine, idem Samuel, mandato Domini, unxit David filium Ysai, sumptum e pascuis, qui obsedit Jerusalem et cepit; et ædificavit arcem Syon; Abyathar de successione Ithamar summus Pontifex. Defuncto vero David, inchoante mundi quarta ætate, successit ei Salomon, filius ejus sapientissimus, qui Templum adificavit quarto anno regni sui, quadragintesimo secundo anno egressionis Israel de Egypto, adventus vero Abrahæ de Syria in Canaan 1120, a tempore Diluvii 1340. Prophetaverunt Gad

et Nathan, et Asaph; et factus est summus Pontifex Sadoch de successione Eleazar.

Salomon vero, mulierum amore seductus, ad idololatriam, postremo resipuit. Regnavit autem 40 annis. Successit autem Roboam filius ejus, qui, scisso regno propter peccatum patris, rebellante etiam Jeroboam servo ejus, regnavit super duas tribus, 17 annis: Jeroboam vero super 10 quæ dictæ sunt Israel, regnavit 12 annis, constituens caput regni sui Samariam. Convertit porro Israel ad idololatriam, ne redirent ad Templum in Hierusalem, constituens eis fraudulenter unum vitulum apud Bethel et alterum in Dan adorandos. Quia vero hæreditas Domini fuit totus Israel, in utroque populo fuerunt prophetæ; per quos tam populum Judam quam populum Israel corripuit. Prophetaverunt enim his diebus Ahia, Semeias, et vir Dei missus de Juda corripere Jeroboam, scilicet Jeü, et Johel, et Azarias, qui et Abdo, et Ananias. Post Roboam quartus Abra tribus annis; post Abram quintus, Asa quadraginta et uno annis. Hic Asa conduxit Benadab contra Israel, et percussit terram Neptalim, et dissipavit ædificationem Basa in Ramoth Galaad.

Post Jeroboam in Samaria secundus, Nadab filius ejus regnavit duobus annis; sed post eum tertius, Baasa, 24 annis, qui delevit omnem domum Jeroboam. Ei vero successit Elah, filius ejus, quartus, et regnavit duobus annis, quem occidit Cambri, et delevit domum Baasha, et regnavit 7 diebus. Post eum vero Ambri sextus regnavit 12 annis, et post eum septimus, Achab impius, qui duxit Jezabel uxorem, quæ prophetas occidit et dispersit. Ejus tempore Helyas propheta cœlum clausit, et sacerdotes et prophetas Baal occidit.

Post Asa super Judam regnavit Josaphat 25 annis; super Israel Achab, 22 annis. Prophetæ fuerunt Abras, Jeü, Osias, Micheas; pseudoprophetæ, Sezechias et Eliezer. Super Israel octavus, Ochozias annis duobus; super Judam, Joram, annis octo. Quo regnante, recessit Edom a Juda, et constituit sibi regem. Super Israel Joram, frater Ochoziæ, nonus regnavit

12 annis. Prophetabant Helias, et Helisæus. Sexto vero utriusque Joram rapitur Elias. Super Judam nonus, Ochozias, uno anno. Post quem Athaliah, mater ejus, 7 annis. Eo tempore Jonadab, filius Rechab, clarus erat. Super Israel decimus, Jeü, annis 28. Joiada summus pontifex fuit. Qui solus post Moysem vixit 130 annis. Super Judam decimus Joash annis 40. Septimo Joash et undecimo Jeü occiditur Azarias propheta. Super Israel Joachab et Joath, undecimus, 17 annis. Nono anno ejus, et 33o Jehu moritur Ehelysæus. Duodecimo ejus anno et 36o Jeü, occiditur Zacharias, filius Barachiæ, inter Templum et altare, a rege Joas. Super Judam undecimus Amasias, annis 29. Super Israel duodecimus, Jeroboam, annis 41. Super Judam duodecimus, Azarias, qui et Ozias dicitur, 52 annis. Prophetabant Ozee, Ysaias, Amos, Jonas. Super Israel tertius decimus, Manaheu, annis 10. Super Israel 14mus Saceras 3 annis. Super Israel 15mus Phacee, 20 annis. Super Judam 13mus Joathan, 16 annis. Quo tempore Remus et Romulus fuerunt. Undecimo anno ejus, prophetaverunt Osee, Johel, Ysaias, Obeth. Super Judam quartus decimus, Achaz, annis 16, qui filium suum trajecit per ignem in valle Gehennon. Eo tempore Roma condita est. Ysaias vidit onus Babylonis. Theglaphasar ornamenta Templi diripuit. Super Israel sextus decimus, Osee 9 annis regnavit. Cujus tempore decem tribus captivatæ sunt a Salmanazor rege; inter quos fuit Thobias. Super Judam quintus decimus, Ezechias, qui serpentem æneum contrivit, regnavit 29 annis. Qui et post tertium annum, secundum verbum Isaiæ, signo accepto de regressu solis et sanatione ulceris sui, mirabiliter liberatus est a Sennacherib. Super Judam sextus decimus, Manasses, 55 annis, qui implevit Jerusalem sanguine usque ad os, et serra lignea secuit Ysaiam per medium. Sed tandem conversus et pœnitens, optimus factus est. Super Judam septimus decimus, Amon, annis 12, vel 2 secundum Hebræos. Summus Pontifex Helchias. Super Judam decimus octavus, Josias justus 32 annis, qui et incomparabile Phase fecit, et idololatriam destruxit. Quem Pharaoh Necaoh occidit in campo

Mageddon, et Adremon planxit, et Jeremias, lamentatione facta sub quadruplici alphabeto.

Prophetaverunt Sophonias, Jeremias, et Olda mulier. Super Judam nonus decimus, Joachath, per tres menses, quem transtulit Pharao in Ægyptum, substituens fratrem suum Eliachim, qui et Joachim. Qui regnavit 11 annis. Quem Nabugodonosor tributarium fecit. In Babylonia clari fuerunt Daniel et socii ejus. Super Judam Joachim, filius Jechoniæ, vicesimus, qui post tres menses captus, ductus est in Babylonem. Post eum vicesimus primus a Salamone, Sedechias regnavit 11 annis. Qui obsessus, rupto muro fugiens, interceptus in campis Jericontinis, judicatus est in Riblatha. Unde, occisis filiis ejus coram eo, ipse, privatus luminibus, traductus est in Babylonem.

Hæc ita de regibus Judah et Israel, secundum unum historiographum, intercalari vicissitudine posuimus. Quia vero regum series secundum successionum ordinem utrinque continuata, liquet evidentius, secundum alium historiographum ordines eorum dividimus. Venit enim origo divisionis a Salomone, cui super Judam successit Roboam, filius ejus, contra quem rebellavit Jeroboam servus ejus, et decem tribus abstulit ei, justo Dei judicio propter peccata Salomonis, qui quum Templum ædificasset, et in omnibus, quæcunque volebat, prospere egisset, conversus est ad idololatriam, mulierum alienigenarum victus illecebris. Diviso igitur regno, duæ tribus et dimidia remanserunt Roboam ; reliquæ adhæserunt Jeroboam. Qui caput regni sui constituens Samariam, convertit eos ad idololatriam, ne redirent ad Templum in Jerusalem. Quum vero hæreditas Domini Israel est, in utroque populo prophetæ fuerunt, qui tam populum Juda quam populum Israel per ipsos corripuerunt.

Post Jeroboam igitur regnavit in Samaria filius ejus Nabath ; et post eum Baasha, qui destruxit domum Jeroboam. Huic successit Ela filius ejus, quem Zamri occidit, et domum Baasha delevit. Post Zamri regnavit Amri, et post eum Aab vel Achab. Sub quo Helias propheta cœlum clausit, et sacerdotes Baal occidit. Huic successit Ochozias filius ejus, et ei

frater ejus Joram. Eum vero occidit Jeü, quem unxit discipulus Helysei, secundum prophetiam Helyæ. Post Jehu regnavit Joachoz filius ejus, et post eum Joas; sub quo defunctus est Helyseus, et sepultus in Samaria. Qui fecit multa in Israel. Post Joas regnavit Jeroboam, sub quo Jonas prophetavit. Huic vero successit Zacharias, quem interfecit Sellum servus ejus. Et post Sellum regnavit Manahem, et post eum Phaceias filius ejus. Et post eum Sacee, filius Romeliæ. Sub quo prophetavit Nahum propheta. Et huic successit Ozias, quem captivavit rex Salmanazar, transferens Israel ad Assyrios, in urbes Medorum juxta flumen Gozan.

Tempore Roboam regis Judæ, Sesach, rex Agypti, ascendens in Jerusalem, templum spoliavit. Post Roboam regnavit Abiah, et post Abiam Asaph, qui conduxit Benhadad regem Syriæ contra Israel, et percussit terram Naptalim. Eo tempore prophetaverunt Achias, Jeü, Amos, Johel, Zacharias. Præcedenti quippe tempore David, prophetaverant in Judæa Gad, Nathan, et Asaph. In Samaria vero, quæ nunc Sebaste appellatur, apud decem tribus, prophetaverunt Helyas et Helysæus, Abdias, Zacharias, et Micheas. Helias vero raptus est, et Helysæus mortuus, et mortuum suscitavit. Post Asa regem Juda regnavit Josaphat, et post Josaphat Joram, quo regnante recessit Edom, ne esset sub Juda. Post Joram autem regnavit Ozias, qui et Ochozias vel Azarias nominatur. Et post Azariam Attaliah 6 annis. Et post illam Joas. Qui bono usus principio, fine pessimo, complevit conatum suum. Qui occidit Zachariam, filium Joiadæ, inter Templum et altare. Et post Joas, Amasias.

His diebus Sardanopalla, vir muliere corruptior, se combusto cum opibus suis, quia Arbagasto non potuit resistere, regnum Assyriorum transiit ad Medos. Et per 350 annos, per reges sibi invicem succedentes, transivit usque ad Astyagen, avunculum Cyri. Verum reges Medorum non computantur numero illustrium regum usque ad Cyrum, quamvis fuerint et juribus Chaldæorum et Babyloniæ nomine clari. Notandumque, quod Procas, Amulii et Numitoris pater, eo tempore apud Latinos

regnavit, avus Rheæ Silviæ, mater Remi et Romuli, qui urbis inclytæ Romæ fundamenta jecerunt. Quippe Orientis imperio paulatim deficiente, Occidentis imperium surrexit, et quidem tanta prosperitate et celebritate surrexit, ac si virtus et fortuna pariter contenderent ejus profectum exigere. Post Ilium igitua captam, constructa est caput gentis Latiæ Roma, 4330 anno; quo per reges imperabatur, usque quo Brutus Tarquinium occidisset. Ex quo annua imperia et binos consules instituit reipublicæ gubernandæ. Computantur igitur a Romulo usque ad Tarquinium anni 241.

Post Amasiam regem Juda regnavit Ozias. Post eum Joathan, qui ædificavit sublimissimam portam domus Domini; quæ dicitur Speciosa. Eo quoque tempore prophetaverunt Osee, Amos, Ysaias, Jonas. Post Joathan vero regem Judæ regnavit Achaz, et post eum Ezekias, cujus anno sexto Salmanasar, rex Assyriorum, de Samaria transtulit decem tribus in terram suam. Gentem vero Chutiorum e converso transtulit in Samariam. Quum autem ob cultum pravum a leonibus interficerentur, misit rex sacerdotes de Israel, ad docendum homines illos legitima [instituta] Dei terræ illius, scilicet legem Moysis. Illi vero nihilominus cum lege veterem cultum terræ suæ observabant; unde non co-utebantur Judæi Samaritanis. Porro 340 anni fuerunt, quibus divisus est populus, scilicet Juda et Israel.

Super Judam, post Ezekiam, regnavit Manasses, et post eum Amon, et post illum Josias, qui congressus est cum Necao, rege Ægypti, et occisus est in campo Mageddon. Eorum tempore prophetaverunt in Juda Jeremias, Olda, et Sophonias. Post Josiam regnavit Joachaz 3 mensibus. Quibus tamen nondum expletis, Necao Pharao veniens Hierusalem, duxit eum in Ægyptum, et constituit pro eo regem Eliachim, quem vocavit Joachim, filium Josiæ; facta Judæa tributaria, in 100 talenta argenti et in unum talentum auri.

Anno 11mo Joachim, Nabugadonosor, veniens Hierusalem, idem tributum exegit, et tribus annis obtinuit. Demum vero factus rebellis Joachim, quia regi Babyloniæ Ægyptii bellum

indixerunt, captus est a Nabugodonosor, et occisus; et translata sunt de Hierusalem tria millia virorum; inter quos fuit puer Ezekiel propheta, et constituit regem Joachim, qui et Jeconias fuit appellatus. Sed et eum, post modicum, rebellantem obsedit Nabugodonosor; quem, facta deditione, cum matre et quibusdam aliis de populo transtulit in Babylonem; et constituit regem Sezechiam. Quum autem post et ipse rebellaret, secundo reversus est Nabugodonosor, et 11mo anno regni sui captivavit eum, et per Nabuzardam civitatem et templum destruxit; et reliquias Babyloniam duxit. Inter quas erant tres pueri, Ananias et Azarias et Misahel, et Daniel cum eis. Quos erudiri fecit rex lingua Chaldæa, quum erant de regio sanguine. Vasa quoque Templi secum asportavit, et posuit in templo dei sui. Ignem quoque concutati sunt sacerdotes* in sicco puteo absconditum; et Jeremias tabernaculum fœderis et arcam et altare incensi transtulit ad montem Abarim, in speluncam, offerens ibi sacrificium consummationis, et obstruxit ostium speluncæ. In qua prædicta latent in hunc diem.

Duravit igitur regnum Judæorum usque ad eversionem Templi 314 annis et 6 mensibus. Sic autem deletis regibus superfuerunt sacerdotes, quum usurpare sacerdotium tutum non erat post exemplum Oziæ, qui usurpationis merito lepram incurrit. Et quidem ab Aaron, usque ad tempora Salomonis, per annos 612 fuerunt 13 sacerdotes; a Salomone vero ad tempora Captivitatis, per 330 annos fuerunt 18 sacerdotes. Nam eversum est Templum anno quadringentesimo tricesimo a conditione sua. Et his diebus finita est ætas quarta, et incepit quinta, anno nono Nabugodonosor, qui vixit post eversionem Templi 25 annis. Post illum fuit Evulmerodac, et post Labosoradac, et inde Egesar, et post eum Balthasar. Quibus regnantibus completi sunt 70 anni; quibus prophetaverat Jeremias solvendam esse Captivitatem.

---

* There is some error here in the text.

Interea, Cyrus, nepos regis Astyagis, apud Persas educatus, congregata manu, avunculo regnum abstulit, et postea Babylonem obsedit. Advenerat Crœsus, Lydorum rex, et alii finitimi reges in adjutorium Babylonis; quumque Balthasar, 17o anno regni, putans vaticinium Jeremiæ evanuisse, in convivio suo vasa Templi intulisset, supervenit in nocte exercitus per alveum fluminis, et ingressus civitatem, Balthasar cum aliis regibus occidit, et Crœsum, secundum prophetiam Ysaiæ. Quum itaque Cyrus captæ civitati disponeret, 50,000 Judæorum permisit repatriare, redditis eis vasibus templi aureis et argenteis, usque ad 5040. Josedech quoque sacerdotem de genere Aaron redire præcepit, et ritus veteris solemnitatis reformare. Samaritani vero Templi re-ædificationem longo tempore impedierunt, donec sub Dario, anno secundo regni ejus, compleretur.

Notandum vero, quod Babylonia capta et destructa, et alio in loco re-ædificata est. Liberata est Roma a Tarquinio Superbo. Eo tempore prophetaverunt in Juda Haggæus et Zacharias, et Malachias. Cambyses, filius Cyri, secundus Nabugodonosor appellatus est. Post quem regnaverunt duo magi; quibus interfectis, regnavit Darius, Antipasti filius; qui filiam Cyri duxit in uxorem. Sub quo Templum completum est 46o anno ab ejus re-ædificatione incepta. Unde "Quadraginta et sex annis est ædificatum, et in triduo re-ædificas?"

Dario Xerxes filius ejus successit; sub quo Esdras scriba, cum magna pecunia et vasis, rediit de Babylone et fecit solemnitatem Kœnophegiæ. Et Nehemias rediit de castro Susisis, et re-ædificavit muros civitatis. Iste Xerxes, iners et pavidus, ab Artabano præfecto interemptus est. Huic successit Artaxerxes Longimanus, qui Vashti reginam habuit; et ea spreta, Hester Hebræam duxit.

Circa hos dies floruit Aristoteles.

Post Artaxerxem regnavit Arxer Ochus. Eo tempore venit Brennius Romam, habens 300000 Gottorum, et capta civitate, obsesso Capitolio, pro laxanda obsidione aurum

accepit *. Immanitate igitur tanti ausus consternati sunt omnes reges terrarum et eis non auderent resistere; sed omnes cum eis gauderent fœdus interponere, et eorum adjutoria habere. Pulsi igitur a regno, ad Gallos se conferebant, nec sine mercenario eorum exercitu aliqui pugnare præsumebant, nec alias se tutos esse posse putabant, nisi virtute Gallorum defenderentur aut juvarentur.

Interea, dum Nehemias instauraret cultum Dei, misit nepotes sacerdotum qui absconderant ignem, et non invenerunt nisi aquam crassam. Quam afferentes, sparserunt super ligna, mandato Neemiæ; et incensum est holocaustum, veluti igne supposito. Docuit igitur populum Nehemias 12 annis, quum illis diebus per sacerdotes summos regerentur 303 annis, post reditum populi. Quorum eminentioris famæ fuerunt Jesus magnus Sacerdos, Joachim, Eliasiph, Simon, Onias, et Gaddus. Cujus tempore regnavit Philippus, pater Alexandri Magni, qui ei successit. Iste invasit fines Persarum, quem Darius introire permisit, fiducia suarum virium. Veruntamen, in congressu terga dedit Darius. Tandem, post multa prælia traditus est Darius Alexandro, et vitam simul cum regno Persarum finivit. Postquam igitur steterat per 231 annos, adjunctum est regno Macedonum. Item Tyrum expugnavit, et Alexandriam ædificavit, et Porum regem dejecit, et Orientem sibi subjecit. Quum autem inde reverteretur versus Occidentem, veneno extinctus est 32o anno vitæ suæ et 12o anno regni sui.

---

* This affair is described in a very different manner by Livy, who makes Camillus to have redeemed his city, not with gold, but the sword. The truth, however, is, that the Capital of the World was taken by the Gallic barbarians. They have again taken it in our days, as they no doubt took it in the time of Camillus; and, what is worse, the modern Brennus had no excuse for his invasion, the ancient Brennus marched to avenge an insult.

The historian Polybius has given the correct history of the siege of Rome by the Gauls. The history of its seige, by the modern republicans is a treat in store for future ages.

Defuncto Alexandro, plures ei successerunt; ut Ptolomæus in Ægypto et Africa et Arabia; Philippus Aridæus in Macedonia, quia frater Alexandri; Seleucus in Syria, et in aliis partibus Orientis, et alii egregii viri in aliis partibus de præfectis facti sunt reges, qui tamen, non multo post, mutuis bellis sese consumpserunt. Horum tamen Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apiam, Essenberoeam, et Pellem, urbes inclitas, condidit, et in eas urbes Judæos transtulit. Ejus filius fuit Magnus Antiochus, qui sacerdotes, scribas, et cantores Templi relaxavit a tributis et a multis aliis oneribus. Seleucus et Lysimachus atrociter inter se pugnaverunt; verum, illis occisis, successit Ptolomæus, Lagi filius, qui dolo adegit Jerusalem ad deditionem. Ei successit Ptolomæus Philadelphus, qui multa donaria transmisit Hierosolymis, et 70 interpretes fecit *Vetus Testamentum* transferre de Hebræo in Græcam linguam. Hujus Ptolomæi filiam duxit Antiochus Magnus, et cum ea accepit Samariam et Judæam et Phœnicem. Iste duos filios genuit, Seleucum et Antiochum. Quorum Seleucus misit Heliodorum Hierosolymam pro thesauris Templi; sed prohibitus est divinitus. Unde in vindictam recesserunt ab eo partim, et Arsacem sibi regem constituerunt. Post Seleucum regnavit Antiochus Epiphanes. Fuit tamen ei filius Demetrius. Post Ptolomæum Euergetem regnavit in Ægypto Ptolomæus Epiphanes.

His temporibus, Hannibal expugnavit Romam, quem Scipio devicit et Carthaginem subvertit: et ita bellum Punicum finitum est. In Numidia Jugurtha Romanos provocavit, et a Metello et a Mario domitus est. Sed et Bocchus in Mauritania subactus est, et multæ aliæ gentes finitimæ Romanis, unde et ad exteras gentes subjugandas miserunt.

Demum in Syria regnavit Antiochus, illustris filius Antiochi, 137o anno regni Græcorum. Et Onias Hierosolymis summus Pontifex erat. Cujus frater Jason, aspirans ad sacerdotium, in occulto primo, et postea publice, contra Legem agebat, unde et in brevi punitus est, et pulsus in Mauritaniam. Interfecto vero Onia ab Andronico, dolo Menelai, obtinuit

sacerdotium idem Menelaus. Quo deposito frater ejus Lysimachus obtinuit sacerdotium. Qui postea, auro exportato e Templo, concursu plebis lapidatus est. Post hæc, Antiochus spoliavit Templum, et prohibuit cultum Judæorum; et præcepit eos inquinari immundis escis, et comedere suillam. Qua de causa multi trucidati sunt, qui maluerunt mori gloriose quam turpiter vivere, et contra Legem agere. Multi tamen a Lege Dei recesserunt. In illis vero diebus Judas Maccabæus recesserat in Desertum, ne fieret particeps prævaricationis. Iste cum paucis frequenter attrivit exercitum Antiochi, ut palam esset vires hominum nihil posse contra Dominum. Unde statuit Antiochus Hierusalem omnino destruere. Sed, dum eo tenderet, ruens de curru suo contritus est. Cui quum deberet succedere filius ejus Antiochus Eupator, cum Lysia tutore suo occisus est a Demetrio filio Seleuci; et regnavit Demetrius. Apud istum Alchimus, frater Oniæ, depravavit Judam Maccabæum. Misit ergo rex Nicanorem, ut caperet Judam, et faceret Alchimum sacerdotem. Qui postquam destruxerat murum interiorem prophetarum, elinguis, paralysi est dissolutus. Deficientibus igitur sacerdotibus de genere Aaron, defuncto Juda, Jonathan frater ejus et principatum adeptus est et sacerdotium.

Interea, Alexander, filius Eupatoris, occidit Demetrium. Cujus filius Demetrius eundem occidit Alexandrum; sed postea in Hyrcania deprehensus exulavit. Is tamen cuidam ..... filium suum commiserat, scilicet Triphon, qui putans Alexandrum decessisse, occidit puerum; et ita regnum ad hæredem Demetrii rediit. Jonathæ successit Symon frater ejus, et ei filius ejus Johannes, qui postea dimicans adversum Hyrcanos, postea vocatus est et ipse Hyrcanus. Hyrcano successit Aristobulus, postea factus rex et sacerdos. Ei vero successit Alexander rex et sacerdos; qui duos habens filios Aristobulum et Hyrcanum, Alexandræ matri eorum commisit, ut ei committeret sacerdotium, quem magis idoneum conspiceret. Illa vero prætulit Hyrcanum juniorem. Alexandra mortua, cessit Hyrcanus Aristobulo. Postea vero excitatus ab

Antipatro patre Magni Herodis, Aristobulum dejecit. Deserens enim ad Romanos, Pompeio introducto in Jerusalem, Aristobulum capi fecit, et enthronizatus est iterato in sacerdotium; et facta est gens Judæorum tributaria. Sicque illi fratres primi dederunt occasionem Romanis invadendi Judæam. Illis diebus Pompeius et Gabinius consules fuerunt. Sed Gabinio successit Crassus.

Interea, conjuratio Catilinæ est facta, et sedata interveniente Cicerone. Julius vero Cæsar interim, Gallia expugnata et subacta Britannia, jam decennium consummaverat, et a senatu alterum expetiit consulatum. Verum inducente Pompeio, Marcellus consul obtinuit ut senatus revocaret Julium Cæsarem, quatenus relicto exercitu Romam rediret. Adeo ipse indigne ferens, cum exercitu Romam venit, et fractis januis ærarii, militibus suis largiter stipendia distribuit. Interim vero metuens Pompeius, Dyrrachium perrexit, et congregato exercitu, dimicavit cum Cæsare; et victus est ibi in Thessalia. Quum igitur fugeret et properaret ad Asiam, interceptus a Ptolomæo rege, et ob gratiam victoris interemptus est. Victor igitur Cæsar Ptolemæum Alexandria donavit; sed postea ingratus factus rebellis, dimicavit et victus est; et quum navi fugere vellet, submersus est. Cæsar vero Alexandriam cepit, et regnum Ægypti dedit Cleopatræ. Reversus igitur Romam, Dictator appellatus est et Consul. Postea vero duces et nepotes Pompeii expugnavit, et occidit Pompeiam filiam ejus, et Faustum, Pusillam et Afranium et Petronium; et reversus, rerum summam et potestatem solus accepit; quod Græci monarchiam vocant.

Quum autem reipublicæ statum contra morem ruinaret, a Bruto et Cassio auctoribus, in curia 22 vulneribus confossus interiit, post annos tres et menses sex quam imperare cœperat. Necis ejus conscii et conjurati fuisse dicuntur 240 nobiles, quos populus in Capitolio incendere voluit ad vindictam. Hujus enim tantus favor extitit, quod omnes successores ejus CÆSARES appellati sunt de nomine ejus.

Hac tempestate, deficiente sacerdotio Judæorum, Herodes

alienigena, Antipatri filius, a senatu Romano suscepit regnum Judæorum, et contra fas vendebat sacerdotium indignissimis, et vestes summi sacerdotis omni tempore regni sui reclusit. Sed et Docidem uxorem suam abjecit, et Mariagnem, Hyrcani filiam et neptem Aristobuli, infelici omine traduxit in uxorem, in perturbationem domus suæ.

Unctione igitur legitima cessante, imminebat expectatio Gentium, Christus Dominus noster, verus rex et sacerdos. Et natus est 35o anno Herodis; ab origine mundi quater millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, vel secundum Græcos, quinquies millesimo quadringentesimo septimo. Denique notandum est, quod per 4 mundi partes per succedentia tempora quatuor regna principalia fuerunt; Babylonium ab Oriente, Carthaginiense a meridie, Macedonicum a septentrione, Romanum ab occidente. Notandum quoque, quod inter primum Babylonicum et ultimum Romanum fuerunt duo minora, Africanum et Macedonicum; item, sicut Belus obscure prius, et Ninus postea, clarius regnavit, ita Julio clarior fuit successor ejus Octavianus Augustus; et, sicut Abraham natus est anno Nini 43, ita Christus, Augusti 42o. Et, sicut Abraham tertiam ætatem illuminavit, ita Christus, sextam illuminavit, sanctificavit, renovavit. Sciendum etiam, quod per annes 170, a regno Herodis usque ad eversionem Judææ sub Vespasiano et Tito, fuerunt 27 sacerdotes venales et incurii.

Primam igitur ætatem mundi Adam; secundam Noe innovavit, inchoavit; tertiam Abraham aurora fidei illustravit; quartam Moyses data Lege ordinavit; quintam Salomon ædificavit; sextam Christus hæreditavit. Et inde liquet quod sapientia quæ a Deo per tempora distillavit, major fuerit et certior et antiquior inventionibus philosophorum.

Scytharum imperia, quanquam illustria fuerint, quia nihil conferunt ad historiam ecclesiasticam, prædictis conferre omisimus, licet non minus admiranda virtute fæminarum quam virorum, meruerint esse memorabiliora. Sed et Mithridatis gloriosa bella, quibus toties Romanis occurrit, intermittimus; et aliorum, et regum et reginarum, triumphos et gloriam, et

de regnorum et regum permutationibus. De regibus igitur Romanorum et de imperatoribus tam Romanorum quam Græcorum, sub quibus fides Catholica propagari meruit, diligentius intuendum est, quoniam initia Evangeliorum procedunt ab historia regum et imperatorum. Unde exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Item, fuit in diebus Herodis, regis Judææ, quidam sacerdos de vice Abiah, nomine Zacharias.

Interfecto igitur Julio Cæsare, secundus monarchus fuit Octavianus Augustus; quo nullus in bellis felicior neque in pace moderatior. Porro, inter eum et Antonium respublica divisa fuit, donec rebellis Antonius, repudiata sorore Augusti pro Cleopatra, bello consumptus est: propria manu.... et Cleopatra similiter.

In diebus hujus Octaviani Augusti, 42o anno imperii sui, ab Ægypto vero subjugata et a morte Antonii et Cleopatræ anno 28, Olympiadis autem centesimæ nonagesimæ tertiæ, natus est Christus, 33o Herodis, qui uxorem et filios suos interfecit, et innocentes infantes, ut Christum occideret, trucidari fecit, elusus a magis, qui Christum visitantes ad eum non rediissent.

Regnavit Augustus 56 annos, cum Antonio 12, solus 44. Successit autem ei Claudius Tiberius, Liviæ filius, privignus Augusti, 16o anno ab incarnatione Christi. Apud eum pulsus est de regno Archelaus, qui Magno Herodi misere mortuo successit, et relegatus est in exilium Viennam; et substituti sunt ei quatuor, Lysaniæ, Philippus, Antipater, Herodes [tetrarchæ].

Anno vero 15o imperii Tiberii prædicavit Johannes, filius Zachariæ, baptisma pœnitentiæ; et eodem anno Christus elegit apostolos, et incepit prædicare. Elegit et 72 discipulos, quos misit ad prædicandum in loca, in quæ ipse erat venturus. Qui conversos ad fidem appellaverunt Galilæos, longe postea appellatos Christianos. Christus vero prædicando spiritualem intelligentiam Legis et ritum ceremoniarum evacuando, Judæorum incurrit odium et invidiam, ut demum proditus a discipulo

et tentus ab eis, accusari, flagellari, condemnari, crucifigi, mori, sepeliri sustinuerit. Tertia vero die surrexit a mortuis, et conversatus inter condiscipulos super 40 diebus, eis videntibus ascendit in cœlum; quinquagesimo die missurus eis Paracletum in linguis igneis, ut in ore ipsorum essent omnia genera linguarum, ad prædicandum fidei verbum in universum orbem terrarum.

Quum autem Petrus, Joannes, Jacobus, post ascensionem Salvatoris, quamvis omnibus viderentur esse prælati, non tamen sibi vendicaverunt primatus gloriam; sed Jacobum, qui dicebatur Justus, apostolorum episcopum statuerunt. Unde Clemens "Jacobo et Johanni et Petro omnem scientiam tradidit Deus, et ipsi cæteris apostolis, et apostoli septuaginta discipulis." Persequutio autem prima adversus ecclesiam Dei, quæ erat Hierosolymis, facta est in protomartyre Stephano, 37o anno ab incarnatiane Domini. Hæc persequutio omnes fere discipulos, exceptis 12 apostolis, per universam Judæam et Samariam disseminavit. Ex quibus nonnulli usque ad Phœnicen et Cyprum et Antiochiam venerunt. Qui tamen Gentibus credere mysterium fidei nondum audebant. Interea, Paulus ecclesiam vastabat. Missus vero Damascum ad persequendum, in itinere correptus est; et vas electionis per revelationem Jesu Christi factus, ascribitur in apostolatum. Philippus vero in Samaria convertit Simonem magum et baptizavit. Qui quum a beato Petro gratiam spiritus pecuniæ pretio emere vellet, deputatus est cum sua pecunia ad perditionem. Invaluit igitur persequutio Christianorum, et generalis in Judæa eorum erat quassatio. Pilatus vero, visis miraculis in morte Christi et mirabilibus quæ fierent per manus apostolorum, per epistolam retulit ea ad Tiberium. Qui ea, quæ acceperat per Pilatum de Christo, retulit ad senatum. Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo quod sibi non prius hujus rei judicium fuerit delatum; sed auctoritatem suam prævenerit vulgi fama. Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos deus haberetur, nisi senatus sententia et decreto confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat quod agebatur, ne divina

virtus putaretur humanis assertionibus indigere. Quumque secundum ea quæ supradixi renuisset senatus, Tiberius tamen tenuit sententiam suam, ne quid adversum doctrinam Christi contrarium moliretur. Quum igitur abigerentur apostoli de Judæa, Petrus Pontum et Galatiam, Bithyniam et Cappadociam sua suorumque perlustravit prædicatione. Paulus vero ab Hierosolymis usque ad Illyricum prædicavit. Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Thomas et Bartholomæus Indiam, et alii apostoli in alias partes mundi ad prædicandum gentibus, Spiritu Sancto duce, migraverunt.

Tiberio post 24 annos mortuo, successit Caius Caligula, anno ab incarnatione Domini 38. Hic ut deus coli voluit; suoque tempore Hierosolymis templum profanavit immissis statuis; et Judæis multipliciter cruciatis, Pilato et accusato et relegato Viennam Galliæ, donec ipse sibi manus injiceret. Herodem, qui decollaverat Joannem et Christo illuserat, remittendo ad Pilatum, una cum Herodiade adultera, æterno damnavit exilio. Puellam enim, quæ saltaverat, terra glutierat. Herodi igitur, qui pueros occidit, successit Archelaus; et Archelao frater ejus Herodes, qui Joannem decollavit et Christum illusit; et illi Herodes Agrippa, filius Aristobuli, qui occidit Jacobum. Et post hunc Agrippa, qui duravit usque ad templi excidium.

Imperavit Caius annis tribus et mensibus sex et diebus 11; et ejus tempore, (ut aiunt) venit Petrus Romam, et passus est Marcus Evangelista.

Caio Caligulæ successit Claudius Tiberius, anno incarnationis Dom. 43. Hic abiit in Britanniam, eamque et Orcades insulas Romano subjecit imperio. Unde reversus Romam, filio suo Britannici nomen imposuit. Quarto hujus anno fames invaluit per Syriam et Palæstinam. Fidelium vero inopiam, collectis factis apud exteros, sustentabant Paulus et Barnabas.

Circa ea tempora Herodes occidit Jacobum, fratrem Joannis gladio, et apposuit apprehendere et Petrum, ut post Pascha produceret eum populo ad ludibrium. Angelus vero Domini liberavit Petrum, et percussit Herodem plaga insanabili.

Unde moriens, Agrippæ reliquit regnum. Hujus tempore Simon magus cœpit homines decipere; et dicitur ab aliquibus Petrum de Antiochia, ubi prius episcopus factus fuerat, Romam venisse, et Marcum episcopum Alexandriæ martyrio interisse.

Huic Claudio Tiberio post 8 annos successit Nero, postposito filio suo Britannico, ab incarnatione Domini anno quinguagesimo septimo. Imperavit annis 13 et 8 mensibus. Iste, 5 annis modestus, postea factus pessimus, Romam multis cruciatibus affecit. Iste Festum procuratorem suum misit in Judæam, qui beatum Paulum misit Romam. Anno 7o ejus, Jacobus, justus episcopus, Hierosolymis lapidatus est a Judaeis, et pertica fullonis excerebratus est, quia confiteretur et prædicaret Jesum Christum esse filium Dei. Eo tempore Simon magus captaverat Neronem, adeo ut eum Nero omnibus præferret hominibus. Petrus vero in urbe multa signa faciebat, cui occurrit Simon, jactitans se mortuos suscitaturum. Juvene igitur, propinquo Cæsaris, mortuo, delatus est in medium, evocans Simoni et Petro ad eum suscitandum, et convenit inter eos ut, si Simon eum suscitaret, occideretur Petrus; et e converso. Quum autem omni susurro et conatu magico Simon deficeret, ait Petrus juveni: "In nomine Jesu Christi crucifixi surge et ambula." Et surrexit qui fuerat mortuus. Quum igitur populus, ex condicto, exsurgeret in Simonem lapidandum, ereptus est per Neronis auxilium. Et quum postea, gratia Simonis, Nero quæreret Petrum ad perdendum, vix acquievit Petrus ut secederet. Et quum mane egrederetur venit ei Christus obviam. Cui Petrus ait, "Domine, quo vadis?" et Dominus, "Venio Romam iterum crucifigi. Intelligens igitur Petrus de sua passione dictum, reversus est, et tentus, et crucifixus; et Paulus capite truncatus, quod Simonem volantem, quasi ad cœlum ascensurum, orationibus suis ad mortem præcipitassent.

Petro igitur Romæ successit Linus, Marco Alexandriæ Anianus, Jacobo Hierosolymis Simon, filius Cleophæ, Festo præsidi Judæ, Albinus, et Albino Florus. Qui torsit nobiles Judæorum, in contemptum suæ religionis. Nero igitur in

suos malus, et in se ipsum pessimus, parricidio matris et incestu sororum et multa cæde civium, a senatu judicatus est esse publicus hostis. Quum ergo, malis meritis suis urgentibus, non inveniret cui se ipsum credere posset, fugit ab urbe, et sibimet manum injecit. De cujus morte Roma exultans, induta pileis, tanquam de hoste triumphavit.

Huic successit Galba, creatus imperator in Hispania. Imperavit 6 mensibus et totidem diebus. Huic successit Otho, contra quem dimicavit Vitellius; et quum suos vinci in prælio videret, se ipsum interfecit, quum non imperasset nisi tribus mensibus. Successit autem ei Vitellius, qui tamen 8 mensibus imperavit. Vespasianus enim creatus imperator, Vitellium interfecit omni vitio plenum, comessationibus et ebrietatibus deditum. Vespasianus itaque adeptus est imperium anno ab incarnatione Domini 71, et imperavit annis 9 et diebus 22. Iste, factus imperator, in Judæa Titum filium suum dereliqnit, ad expugnandum Judæos. Ad quos expugnandos fuerat ipse transmissus tempore Neronis. Eo tempore intestina et civilia bella agebantur in Herosolymis inter Joannem et Simonem: qui viri sceleratissimi populum inter se diviserant, et innumerabilia scelera perpetrabant. Quum autem die Paschæ obsiderentur, mutuo fœdere renovato partes adversæ contra Romanos unanimiter prodierunt; veruntamen Titus prævaluit, et tandem triplicem murum irrupit, et populum in ore gladii trucidavit, et Templum incendit, et facta deditione principes cepit, et infinitos de populo captivavit et occidit. Dum enim injuria Dei vindicaretur, ecclesia Dei, quæ erat Hierosolymis, accepto divino responso, secesserat interim ad Pellam oppidum. Reliqui vero discipuli et apostoli, ubi erant, libere prædicabant. Consummatum est igitur bellum contra Judæos, annis quatuor, duobus sub Nerone, et duobus postea. Redeunte igitur Tito Romam, in singulis civitatibus ad triumphum reservati Judæi, aliquo genere mortis consumebantur. Denique Vespasianus et Titus cum triumpho Romam ingressi sunt. Vespasianus enim, ventris eluvie fessus, assurrexit, inquiens, "Stantem imperatorem excedere terris decet."

Cui successit Titus anno incarnationis 81, et imperavit annis duobus et totidem mensibus. Hic fuit omni genere virtutum præclarus, et facundissimus, et maxime liberalitate præcipuus. Qui dicebat, *se diem perdidisse*, quo nihil militibus suis donasset.

Tito successit frater ejus Domitianus, anno incarnationis 83, et imperavit 15, annis et mensibus 6. Joannem enim Evangelistam damnavit exilio in Pathmos insulam, ubi scripsit Apochryphen.

Lino successit Cletus, qui sedit 12 annis. Cui successit Clemens. In Alexandria Ananio Abilinus.

Domitiano Nerva successit anno incarnationis 98, et imperavit anno uno. Hic Joannem et alios exules ab exilio revocavit. Nervæ successit Trajanus, anno incarnationis Domini 99, et imperavit annis 19 et mensibus 6. Hic fuit liberalis et diligens. Erat quoque ei domi securitas, et in bellis fortitudo.

Clemens sedit 9 annis; cui Anacletus et Euaristus; et ei Alexander, quintus post Petrum.

Circa ea tempora Simoni Mago successit Menander Magus et Simon Samaritanus, qui se Salvatorem mentitus est, et Ebionitas, i. e. pauperes in intelligentia, seduxit, ut dicerent Christum natum ex viro et fœmina, et postea natum ex Spiritu Sancto et fœmina, et non fuisse Deum ante sæcula, neque surrexisse a mortuis, neque ascendisse in cœlum mundumque non a Deo, sed ab angelis factum fuisse, Legem et Evangelium in aliquibus servantes. Fuit et Cerinthus qui diceret Christi regnum futurum esse terrenum post mille annos: et tunc omnia legalia esse renovanda. Fuit et hæresis Nicolaitarum de damnandis nuptiis et sequenda continentia. Hos autem omnes confutavit beatus Johannes, scribens Evangelium.

Sub hoc autem Trajano tertius impetus persequutionis ebullivit, qua beatus Clemens in mari submersus est; et Simeon Hierosolymis crucifixus; et Ignatius Antiochenus Romæ bestiis objectus; et alibi trucidati innumeri. Donec Plinius Secundus Christianorum docuit innocentiam; ut suum Trajanus temperaret edictum, ne requirerentur Christiani; si tamen

inciderent, punirentur. Cessavit igitur in parte quassatio, quanquam multipliciter a pravis quæreretur persequendi occasio.

Simeoni Hierosolymis successit Justus nomine. Eo tempore Polycarpus et Papias in religione floruerunt; et Judæi iterum seditionem moverunt adversum Romanos; quos Marcus Turbo destruxit, et Lucius Quietus in Mesopotamia.

Trajano successit Ælius Adrianus anno incarnationis Domini 108, et imperavit annis 21. Iste litterarum scientia peritus fuit, et cantor et artifex egregius. Iste interdixit ne Christiani sine objectu criminis et probatione ejus damnarentur. Per eum quoque re-ædificata est Hierosolyma, et Ælia appellata. Et interdictum est ne Judæi eam ingrederentur, habitatione concessa Christianis. Unde primus ex gentibus ordinatus est ibi Marcus episcopus, quum prius ex circumcisione tantum sumebantur episcopi. Fuerunt igitur ex circumcisione Jacobus, Simeon, Justus, Zacchæus, Thomas, Benjamin, Joannes, Mathias, Philippus, Simeon, Justus, Levi, Effrem, Joseph, Judas, 15.

Alexander constituit aquam benedictam fieri et spargi. Post eum vero sedit Sixtus nomine: et post eum Telesphorus, qui constituit jejunium 6 hebdomadarum ante Pascha, et in Natali Domini missam cantari per noctem.

In Alexandria successit primo Justus nomine; et Justo Eumenides, sextus ab Apostolis.

Circa ea tempera Barcobas mentitus est se de cœlo cecidisse sidus magnum ad salutem Judæorum, et multos secum traxit ad interitum.

Ælio Adriano successit Antoninus Pius, anno incarnationis Domini 130. Hic fuit vir peritissimus, et imperavit annis 20 et fere tribus mensibus. Hujus anno primo, Telesphoro Romæ successit Hyginus; et Hygino Pius. Sub quo Hermes scripsit PASTOREM. Post Pium sedit Anicetus; et post eum Soter. Hygini temporibus ortæ sunt hæreses Valentini, Cerdonis, Marcionis.

Apud Alexandriam Eumenidi successit Marcus; Marco

Celadonius; Celadonio Agrippinus. Antonius pius fuit et bonus, carens appetitu gloriæ et ostentationis. Comperta enim justitia tanti viri, miserunt ad eum Indi, Bactriani, et Hyrcani. Decessit imperii sui anno 23. Ob cujus honorem decreta sunt insignia multa Romæ a senatu.

Ei vero successit Marcus Aurelius Antoninus, anno incarnationis Domini 153, et imperavit 19 annis et mensibus 11. Hic fuit tantæ severitatis, ut ab infantia vultum nec ex lætitia nec ex dolore mutaverit. Accivit vero sibi socium Aurelium Commodum, cum quo in Parthia triumphavit. Horum diebus quarta persequutio Christianorum erupit. Passus est enim Polycarpus Smyrniensis, Justinus philosophus, Othinus Lugdunensis, Justus Viennensis. Ea tempestate Lugdunum et Viennam et alia vicina loca intravit Rhodanus, et lues maxima sequuta est, quæ incolas abigeret aut occideret. A bellis nulla terra cessavit, et terræ motus multos obruit, et inundationes et pestilentiæ multæ exortæ sunt. Demum Aurelius apoplexia suffocatus est. Marcus autem post eum paucis diebus regnavit, et severiores leges novis additionibus temperavit. Ea tempestate barbari obsederunt exercitum Romanorum; in quo legio Christianorum, fusis precibus ad Christum, ab ardore sitis, impetrata pluvia, liberavit; et adversarii fulminibus in fugam conversi sunt.

Ea quoque tempestate turpia et inhumana Christianis imponebantur flagitia, ut omnium odia provocarentur, et incitarentur Gentiles ad persequutionem Christianorum, tanquam ea obsequium Deo putarent.

Sedit igitur post Petrum Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euaristus, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleutherius, XII.

Hierosolymis ex Gentibus post Marcum Anianius, Publius, Maximus, Juvanus, Gaius, Julianus, Capito, Valens, Docilianus, Narcissus, XII ab Apostolis.

Alexandriæ post Marcum Evangelistam Anianus, Abilius, Cerdo, Justus, Cheladion, Agrippinus, Julianus. Antiochiæ post Hermem Cornelius.

Lucius rex Britanniæ misit ad Eleutherium Papam, rogans ut fieret Christianus, et obtinuit.

Mortuus est Marcus in Pannonia morte subita, et successit ei Lucius Aurelius Commodus, anno incarnationis Domini 170. Hic luxuriæ et obscenitati deditus, omnibus fuit *incommodus* et multa flagitia perpetravit. Unde et ejus pœnam tota Roma sensit, ictu fulminis bibliotheca concremata.

Eo tempore Montanus et Maximilla et Prisca, acti dæmonibus, se prophetas esse finxerunt, et multos seduxerunt. Alias enim multo tempore pacem habuit Ecclesia. Eo tempore Eleutherio successit Victor Romæ; Alexandriæ Juliano Demetrius; Antiochiæ Serapion octavus ad apostolis. Et nata est quæstio de celebranda Pascha, et definita, ut, observata 14a luna, proxima die Dominica celebraretur. Interfuerunt concilio Victor Papa, Narcissus, patriarcha, Theophilus Cæsariensis, Irenæus Lugdunensis, et alii.

Lucio Aurelio Commodo strangulato in domo Vestoli, successit Ælius Pertinax, et imperavit tantum 6 mensibus. Cui successit Julianus, et imperavit 7 mensibus. Et ita illi duo unum annum compleverunt. Eo tempere fuerunt hæretici, qui docerent Christum esse purum hominem et non Deum, et corrumperent Sacram Scripturam.

Juliano successit Severus anno incarnationis Domini 180, et imperavit 18 annis. Hic fuit sævus et bellicosus, admodum strenuus, Græcis et Latinis litteris satis eruditus. Fuit et acer ingenio, et ad omnia quæ intendisset fine tenus perseverans: et benevolentia quo se inclinasset mirabili atque perpetua, ad quærendum quoque diligens, et ad largiendum liberalis, et in amicos et in inimicos pariter vehemens. Iste, post bella plurima, venit in Britanniam, eamque a mari usque ad mare vallo et turribus communivit. Sub hoc vero facta est quinta persequutio Christianorum. Sub hoc enim passus est Leonidas, pater Eugenis, qui tunc septennis in Grammatica alios docere idoneus fuit. Passus est et Irenæus Lugdunensis, et multi alii. Romæ Zephyrino successit Calixtus, et ei Urbanus.

Severo mortuo apud Eboracum, successit Aurelius Antoninus Bassianus, qui et Caracalla dictus est, anno incarnationis

201, et imperavit annis 7. Hic fuit libidine intemperantior patre, et novercam suam duxit in uxorem. Hoc tempore prædicavit Symmachus hæreticus, Christum fuisse filium Joseph, et non virginis.

Bassiano successit Macer Macrinus, palatii præfectus; sed, emenso anno, tumultu militari occisus est. Ei vero successit Aurelius Antoninus Gabalus. Iste infamis memoriæ fuit, et idcirco cum matre sua militari tumultu occisus est. Huic successit Alexander Maneas, anno incarnationis 212, et imperavit 13 annis. Hujus mater Mammæa ab origine instructa est utpote Christiana.

His tamen temporibus passi sunt Romæ Tiberius et Valerianus et Cecilia. Alexandro successit Maximus Julius, anno incarnationis 225, infestus universæ domui Alexandri. Unde et prælatos et doctores ecclesiarum ubique puniri fecit. Sub hoc passus est Pontianus papa, cui successit Antherus, et ei post mensem Fabianus, qui, indice columba, quum de agro reverteretur, electus est.

Per idem tempus Berillus asserebat Christum fuisse ante ejus nativitatem; ei vero inesse divinitatem negabat, nisi quatenus ei pater inhabitaret; sed eum convertit et correxit Origenes.

Julium occidit Pupienus; sed statim cum fratre suo Balbino in palatio cæsi sunt. Gordianus vero suscepit imperium, anno incarnationis 228. Floruerunt diebus ejus Africanus catholicus nominatissimus, et Porphyrius philosophus, et Victor sophista. Gordiano post 6 annos interfecto secus Euphraten, succcessit Philippus, qui et M. Julius dictus est, cum filio suo Philippo, anno incarnationis Domini 237, et imperavit annis 7. Ille primus imperatorum Christianorum filium suum accivit consortem in imperinm. Iste in Pascha non est admissus ad Sacramenta, priusquam confiteretur peccata. Quod et libenter et humiliter fecit. Eo vero tempore fuit hæresis, quæ doceret animas mori cum corporibus, et iterum resurgere cum eis.

Utroque demum Philippo fraude Decii interempto, successit

Decius, anno incarnationis 244, et imperavit uno anno et tribus mensibus. Iste, septimus post Neronem, feralia edicta dispersit ad persequutionem Christianorum. Sub hoc enim passus est Romæ Fabianus, Antiochiæ Babullas, in Epheso 7 pueri dormientes, Jerosolymis Alexander.

His temporibus surrexerunt Novatiani, qui negarent lapsis pœnitentiam post peccatum. Sed hæc hæresis in concilio Romæ damnata est.

Decio successit Gallus Hostilius cum filio suo Volusiano. Hi fidem persequuti sunt, sed quatenus extendebatur persequutio, extensa est postmodum pestilentia. Et demum ab Æmiliano occisi sunt. Fabiano Romæ successit Cornelius.

Hoc tempore orta est quæstio, utrum hæretici essent re-baptizandi, et definita. Et mortuus est Origines, cujus scripta quædam notata sunt. Qui mille et amplius tractatus edidit, et multos commentarios scripsit. Qui et se ipsum zelo munditiæ castravit.

Gallo successit Valerianus, anno incarnationis 248, et imperavit annis 15. Eo tamen tempore factus est imperator a senatu Gallienus. Valerianus, primo bonus, postea factus est pessimus magica arte. Qui et libertatem dedit, quomodo quis vellet, adorari divina. Iste, tricesimus ab Augusto et octavus a Nerone, per tormenta coegit Christianos ad idololatriam. Sub hoc passus est Cornelius Romæ, Carthagini Cyprianus, et alibi multi alii. Cornelio vero successit Lucius, et Lucio Stephanus, et Stephano Sixtus; cujus archidiaconus fuit Laurentius.

Eodem vero tempore compensavit Dominus persequutionem persequutione. In omnes enim fines Imperii irruerunt barbari, et demum a Sapore rege Persarum captus est Valerius, et infami officio, toto tempore vitæ suæ, acclinis humi dorsum suum regi præstabat ascensorium in equum. Gallienus igitur, territus Dei judicio, dedit ecclesiis pacem; unde et statim ei Deus pacem paravit, inimicis ejus destructis. Marcus enim, qui in Galliis post mortem Postumi invaserat imperium, oppressus est, et Victorinus creatus *Cæsar* a Gallis, extinctus.

In Oriente per Odenatum victi Persæ et dispersi, defensa Syria, et recepta Mesopotamia.

Per idem tempus sedit Antiochiæ Demetrius, Jerosolymis Zobanes. Cui successit Irenæus, Alexandriæ Dionysius, patrum nobilissimus. Eo tempore Paulus Samotheus, Antiochenus episcopus, dicebat Christum purum hominem esse. Et beatus Gregorius duorum fratrum stagnum oratione sua siccavit, et montem de loco suo in altum transtulit alibi, et Dæmonem super Alpes a dandis responsis cohibuit, et postea morem gerens hospiti sacerdoti, Dæmonem relaxavit. Quo facto sacerdotem ad Fidem convertit.

Galieno successit Claudius, animo et moribus bonus, a senatu creatus anno incarnations 263, et imperavit anno uno. Hic Getas, per annos 15 Illyricum et Macedoniam vastantes, magna strage coercuit. Unde illi clypeus aureus in Curia et statua equestris aurea collocata est. Diebus ejus, Paulus, Samothæus, tumidus et contumax, hæresi sua multos infecit.

Claudio defuncto Quintillus, frater ejus, suscepit imperium; sed die septimo interfectus est; et cessit Aurelio, qui imperavit 5 annis et sex mensibus. Iste fuit strenuus et industrius, qui Gotthos stravit, et ditionem Romanam ampliavit, et urbem muris firmavit. Ejus tempore melioratus est status ecclesiæ. Unde, habito concilio Antiochiæ, Paulus condemnatus est, et de hæresi sua et moribus insimulatus. Qui quum nollet cedere, coactus est ab Aureliano parere sententiæ. Aurelius vero, postea deputatus a Paulo, sævit in Christianos.

Quo tempore in Galliis beata Columba Senonis martyrio [vitam] finivit, et multi alii in aliis locis. Demum vero subita morte præventus et divinitus extinctus, cessit Tatio, qui imperans 7 mensibus, cessit Floriano. Quo post tres menses occiso, Probus 6 annis imperavit, anno incarnationis 270. Iste probus fuit et armis strenuus, et Gallias a barbaris liberavit, et in Oriente duobus bellis civilibus suos hostes confecit. Romæ Dionysio successit Felix, et ei Eutychianus, et post eum Gaius, et inde Marcellinus.

Eo tempore fuit Manes, Persis genere, et acer ingenio, qui

duo Principia dogmatizavit, unum bonum et alterum malum. Contra quem luculente scripsit Augustinus.

Probus, militari tumultu interemptus, cessit Caro Narbonensi 277o anno incarnationis, et imperavit duobus annis, et accivit consortes ad imperium filios suos, Carinum et Numerianum. Ille vero, in bello Parthico fulmine ictus, interiit. Numerianus vero Apri soceri sui fraude interfectus est.

His successit Dioclesianus, anno incarnationis 279, et imperavit annis fere 20. Iste Aprum manu sua occidit, et Carinum, fratrem Numeriani, flagitiose timentem, gravi prælio confecit. Iste sibi accivit socium commilitonem suum, Maximianum Herculium, quem misit in Gallias ad expugnandum rusticorum Bagaldas. Sed in ipso itinere Thebæa legio in loco Galliæ, a Gauno super Rhodanum martyrio occubuit. Horum enim tempore gravissima persequutio intentata est per totum orbem. Edicto quippe promulgatum est, ut omnes ecclesiæ usque ad solum diruerentur, et Scripturæ comburerentur, et primo prælati eorum sublimes raperentur, tam nobiles quam ignobiles, et demum sine delectu omnes, qui non abnegarent Christum, in carcerem detruderentur, nec dimitterentur, nisi sacrificare consentirent. Demum vero flagris et flagellis urgebantur, et bestiis exponebantur et omnia generi pœnæ subjiciebantur ut sacrificarent.

Passus est ea tempestate Marcellinus papa, et Romæ 17000 martyrum; et in Britannia Albanus, Aaron, et Julius. Duravit itaque persequutio usque ad septimum annum Magni Constantini.

Dum hæc agêrentur erga ecclesiam, multa contra imperium oriuntur difficilia. Unde pervadentibus barbaris imperium, Dioclesianus Maximianum Herculeum fecit Augustum. Constantium vero et Maximianum Galerium fecit Cæsares, tradens Constantio Theodoram Herculei Maximiani filiam, et suam nomine Valeriam Maximiano Galerio. Divisa igitur sollicitudine imperii, facilius vicerunt in aliquibus locis, et in aliquibus victi sunt. Demum vero Dioclesianus et Maximianus Augusti partem imperii deposuerunt, et privati degere cœperunt. Con-

stantius vero et Galerius Maximianus primi imperium in Orientem et Occidentem sibi diviserunt, et quinque annis pariter regnaverunt. Fecit autem Galerius in parte sua duos Cæsares, in Italia Severum, in Oriente Maximinum. Galerius vero præcepit templa Deorum refici, et Christianos deleri. Sub eo passus est in Alexandria Petrus, vir inclytus, et alii multi. Constantius vero mitius se habebat, et fidem Christi venerabatur, et parcebat Christianis. Unde et in brevi priorum persequutorum perditio supervenit; quum Dioclesianus Salonæ interiit, et Maximianus Herculianus occisus est, et Severus in Italia peremptus.

Constantius igitur apud Eboracum Licinium ordinavit Cæsarem Hispaniarum, et Constantinum filium suum Cæsarem Galliarum.

Eo tempore Romæ Marcellino successit Marcellus, et ei Eusebius, et illi Melchiades, et post eum Silvester factus est Episcopus, qui Constantinum baptizavit, et privilegia Romanæ ecclesiæ meruit, et Eucharistiam in lineo conficiendam instituit, et usum dalmaticæ repperit. Constantinus igitur in Britannia imperator factus, imperavit annis 30 et duobus. In Oriente vero regnavit Maximianus Galerius, qui non cessavit a persequutione Christianorum. Ob eam enim causam persequutoribus eorum honores contulit, et simulacra et templa Deorum restituit, et sacerdotes posuit, et eis salaria constituit. Demum tamen subito inflatis visceribus, fistulis purulentis cruciatus est; unde vermium multitudo scatebat. Deficientibus igitur medicis, Divinam esse vindictam intellexit; et ideo edictum promulgavit de compescenda persequutione. Displicuit vero edictum Maximino in partibus Orientis; et cessavit quassatio per VI menses. Postea vero sævire cœpit, occasione accepta, quod seductores mentirentur Jovis Amicalis simulacrum portenta quædam fecisse et responsa dedisse, ne Christiani civitates inhabitarent. Legationes quoque misit contra Christianos, ut denuo excitaretur seditio; et Judices provinciales multa Ecclesiæ detrimenta intulerunt. Falsa quoque acta de morte Christi per provincias fecerunt propalari, et commenta quædam

turpia fecit effingi a pravis mulierculis, et ad imperatorem deferri. Præterea edicta contra Christianos æreis tabulis fecit conscribi, et in civitates omnes transmitti.

Postea successerunt bella et fames et pestilentiæ, et alia innumera mala; inter quæ tamen claruit Christianorum relligio; quas inter augustias suis etiam persequutoribus paterna et fraterna caritate subvenirent. Romæ vero a prætorianis militibus creatus est imperator Maxentius; adversus quem cum Licinio conspiravit Constantius. Quum autem idem fautor Christianorum cogitaret de bello, nondum unciatus signo crucis, crucem in cœlo videre meruit. Quod signum ipse manu gestans, aureum vexillis etiam suis imprimi fecit. Adeo igitur cœlitus instructus, signo Crucis securus, ad prælium properavit. Veruntamen, sedulo semper orabat ne signum illud sanguine pollueretur, et ut populus incolumis servaretur. Subito igitur exeunte Roma a Maxentio per pontem transiens, quem ipse ad decipulam hostium fecerat, corruit in Tiberim, et submersus est. Elevavit igitur Constantinus signum Crucis, et omnimodis honoravit, et cum Licinio legem edictalem promulgavit, de solo Deo Christianorum adorando et colendo. Et ut similiter statueret, Maximino denunciaverunt. Hoc autem licet sibi displiceret, fecit; scientibus tamen provincialibus, quod contra suam faceret voluntatem et conscientiam.

Licinius vero postea Maximinum expugnavit, ut victus et sociatus calonibus aufugeret, et ad sua rediret. Sacerdotes igitur deorum a quibus illusus erat, fecit puniri; et conversus ad fidem, de libertate Christianorum legem fecit edictalem; sperans quod Christi adjutorio impia bella quæ conceperat in animo, ad victoriam traducere posset. Demum vero morbo regio correptus, orbatus est luminibus; et causam gratiæ Dei suscepit, ut intelligeret iram Dei et vindictam sibi incubuisse. Prius vero quam hæc agerentur Romæ, Constantius lepra perfusus est. Consilio igitur sacerdotum idolorum, congregatis multis infantibus occidendis, ut eorum sanguine lepra perungeretur, misertus est imperator, et eos, cum matribus suis, muneribus donavit, et remisit. Unde, sequenti nocte astiterunt ei apostoli Petrus et Paulus, et

suaserunt ut vocaret papam Sylvestrem, qui tunc erat in monte Soracte, et ejus uteretur medicina. Vocato igitur Silvestro, baptizatur, et sanitati restituitur. Unde statim præcepit per totum orbem claudi templa, et omnem superstitionem aboleri, et Fidem servari. Exstruxit quoque multas ecclesias; et demum ædificata Byzantio, vocavit eam nomine suo CONSTANTINOPOLIM; et cum Nobilibus Romanorum ad eam transivit; dato Palatio suo cum regalibus beato Paulo et Petro et Silvestro.

Acta est igitur ex prioribus magna lætitia in populo; et puniti sunt qui prius Christianos punierant, et filii etiam Maximini. Sed et dolus sacerdotis Antiocheni dæmonis, et fallacia Theotecti et complicium ejus, relevata sunt; et factus est status Ecclesiæ optimus, Constantino totis viribus relligionem fovente. Invidit tandem Licinius, et sævire cœpit in Christianos, dicens, quod Dominum suum non exorarent pro eo, sicut pro Constantino; sed memoriam et furorem ejus pariter Constantinus delevit. Eo tempore etiam Helena,* mater Constantini, Hierosolymis lignum Dominicæ Crucis invenit, et partem Hierosolymis reliquit, partem vero cum clavis Constantinopolim transportavit.

Eodem tempore, quum apud Alexandriam post Achillam, qui Petro martyri successit, sederet Alexander, surrexit Arius presbyter, dicens, tres esse in Deo substantias. Quem Alexander crebro admonitum quum non posset ad fidem reducere, conprovincialibus episcopis verbum hæresis illius manifestavit. Vocato

* A Saxon writer (says Usher in his Britan. Eccles. Antiquit.) affirms this lady to have been a very exalted personage, and that her son, Constantine, was born in Britain, (probably at York.) Henry of Huntingdon makes this Princess the daughter of Coel, King of Colchester—"Accepit (Constantius) filiam regis Britannici de COLECESTRE—nomen erat Coel—scilicet Helenam, quam Sanctam dicimus, et genuit ex ea Constantinum magnum." Britain had, no doubt, by this union the honour of having given birth to the first Christian emperor. (See Stillingfleet's ORIGINES SACRÆ.) Indeed Henry expressly says that this Prince was a Briton, lib. I, sub finem,) "Constantinus, flos Britanniæ, regnavit 30 annis et 10 mensibus. Hic igitur Britannicus genere et patria, &c."—But all this now passes for a fable.

demum Concilio Niceno, præsente Constantino, a CCC et XVIII episcopis condemnatus est. In eo Concilio pronunciavit Constantinus sacerdotem episcopum a solo Deo condemnandum; et ideo se nullum judicaturum. In eodem Concilio vir simplicissimus acerrimum philosophum solo verbo vivo convertit ad Fidem. Illi Concilio interfuerunt Pannuchius Ægyptius, et Spridon Cyprius, viri Apostolici, virtutibus et signis. Quidam tamen faverunt Ario, XVIII; sed XI eorum conversis ad Fidem, reliqui cum Ario in exilium deportati sunt. In ea synodo, Sancti Patris symbolum cuderunt, et aliquot Decreta, quæ in Ecclesia celebrem habent auctoritatem. Eo tempore ulterior India † conversa est ad Fidem, per Edicium et Frumenticium; et Hispania per mulierculam captivam, quæ infantulum cilicio suo suscitavit, et reginam sanavit, et precibus suis columnam erexit. Instructi vero sunt postea per sacerdotes a Constantino missos.

---

† INDIA CONVERSA EST.] That there was a regular traffic between the western world and the East Indies, even before the rise of the Roman empire, we have sufficient evidence from the Roman and other writers; — "India mittit ebur," says the poet Virgil. That the Christian missionaries penetrated to that distant region, is therefore very credible, especially being under the auspices of such an emperor as Constantine the Great. But to the Britons, or the English rather, this country was unknown till the days of Alfred, by whom, as William of Malmesbury informs us, an embassy was sent thither, in honour of Saint Thomas, with great success. "Et trans mare ad Romam, et ad Sanctum Thomam in Indiam multa munera misit. Legatus in hoc missus Sigelinus, Schireburnensis episcopus, cum magna prosperitate, quod quivis huic sæculo [fieri] miretur, INDIAM penetravit. Inde rediens, exoticos splendores gemmarum et liquores aromatum, quorum illa humus ferax est, reportavit." (DE GESTIS REG. ANGL.) These precious stones and perfumes must, in that day, have been deemed rare curiosities. It is thought, that Alfred ordered to be made and adorned with these jewels a more splendid imperial Crown. For in the arched roof of the Cloisters in Westminster Abbey, where the Regalia were formerly kept, was a curiously wrought box, inscribed with these words, "Hæc est principalior Corona, cum qua coronabantur reges, Alfredus, Edwardus &c."— See SPELMAN'S LIFE OF ALFRED and TINDAL'S RAPIN.

Silvestro successit Marcus, et ei Julius, qui tunc sedens, non interfuit concilio propter infirmitatem senectutis: misit autem legatos Jutum et Vincentium.

Floruerunt eo tempore Osius Cordubensis, Dorotheus Tyrensis, Maximus Trevirensis, Nectarius Viennensis, Eusebius Cæsariensis, Remis Augustudunensis, Pannutius Ægyptius, Cupertius Aurelianensis, qui indice columba ordinatus est.

Demum mortua Helena, Constantius, filia ejus, relicta Licinii, familiaris fratri suo, quum et ipsa moreretur, familiarem sibi sacerdotem Arrianum obnixe commendavit fratri suo, qui in tantam gratiam admissus est, ut ejus instantia revocaretur Arius de exilio, iterato tamen Concilio audiendus. Fidem enim suam conscripserat omnino fidei nostræ, per verba consonam, et in summa contrariam. Non relaxans tamen animi sententiam, imperator decrevit concilio fidem esse probandam apud Alexandriam inter conscios fraudium suarum, CXXII. Et L anno imperii sui mortuus est Imperator. Et testamentum, in quo Constantium filium suum hæredem scripserat, Arriano sacerdoti familiari suo commendavit. Quod ipse fideliter Constantio reservavit et tradidit; et ideo tantam ejus assequutus est familiaritatem ut dominus aliorum et imperator ab eo pateretur imperari. Unde cogi cæperunt episcopi Arrium recipere, etiam inviti. Quum ergo convenissent, Eusebius episcopus, fautor Arrii, apud Constantinopolim publice introduxit Arrium in ecclesiam, ut eum Alexander reciperet, vel ab episcopatu suo pelleretur. Quum autem Arrius inter multos constiparetur, humanæ necessitatis causa ad publicum locum declinavit, in quo intestina et omnia viscera sua turpiter egessit. Adeo, quum statim ad notitiam omnium venisset, confusi adjutores ejus recesserunt. Et completus est sermo Alexandri, ad gloriam Dei orantis, "Judica, Domine, inter me et minas Eusebii et vim Arrii." Timentes vero sibi accusatores, mortem Arrii per eunuchos palliaverunt, ne agnita veritate punirentur.‡

‡ The real nature of the death of Arius must for ever, it is feared, remain

Mortuo demum Alexandro, substituitur ei Athanasius, vir catholicus et eruditus, quem fautores Arrii persequi cæperunt, scientes quod, eo vigente, hæresis sua non posset procedere, habentes Constantium favorabilem. Et in concilio eum falsis accusationibus lacessierunt, et in fugam propulerunt; et VI

a mystery, to be solved according to the bias of each writer. The account given to us by Athanasius on the authority of a certain Macaire, and in which he is followed by most ecclesiastical writers, viz. that being compelled by natural causes to retire, he was found dead—that he burst asunder in the midst and all his bowels gushed out—is suspicious on many grounds. Firstly, because it is but another version of the death of Judas, which however wants the mystery, and is reconcileable to reason, if we accept the statement by Luke (Acts 1, 18) that he was fatally ruptured by a violent fall. Secondly, because Athanasius, the great opponent of Arius, recites at length, in his epistle to Serapion, De morte Arii, the prayers of Alexander, Bishop of Constantinople, on the Saturday preceding the Sunday on which Arius was to be received into the communion of the church. Of this prayer I quote only one passage, "But if thou wilt spare thy church (and Thou wilt spare it) remember the words of Eusebius, and give not over thine inheritance, O Lord, to destruction and contempt, and take Arius out of the way."

We have now to weigh the probabilities of so speedy an answer by Almighty God to the prayer, and the adoption by the holy bishop of the means the most effectual in all ages of taking a formidable antagonist out of the way. The case of Ananias and Sapphira instanced by, I think, Mr Newman is not in point. For the Apostle by the spirit of the Holy Ghost, and others, subsequently, by the imposition of hands, received power to heal and to kill without the necessity of any special interposition. But the power of healing, and—without resorting to those steps which Bishops have more than once sanctioned when they would free themselves from a dangerous opponent—of destroying, having been lost, leaving the imposition powerless but as an imposition on credulous minds, if there be any truth in the account of the death of Arius, and I willingly admit its truth, it follows that either God did specially interpose, or that Arius WAS TAKEN OFF by poison. It requires something more than the mere assertion of a fierce adversary based on the authority of his own elder to assent to the doctrine of miraculous interposition in an event which may be ascribed to human ageney without a violation of those probabilities which derive the greater force from the well known unscrupulous 'odium theologicum.,

annis delituit, pastus in latebris a muliere quadam, ubi, quum capi deberet, aufugit ad Constantem fratrem Constantii. Receptus igitur honorifice, obtinuit, ut Constans ad fratrem suum scriberet, quatenus Athanasium restitueret; alias enim ipse eum restituturus erat, sumptis pœnis ab adversariis ejus. Timens igitur Constantius, restituit Athanasium, prius tamen expetito ab eo, quod Arriani apud Alexandriam seorsim habere possent ecclesiam. Quod vir sanctus sub conditione concessit, si Constantinopolim seorsim habere possent ecclesiam, qui Arrianis favere nollent. Quod licet æquum videretur Imperatori, non tamen est admissum ab hæreticis.

Mortuo vero demum Constante, per Magnentium tamen statim iterato persequutio orta est in Athanasium. Et quum Constantius vindicasset fratrem suum, statim publice pronunciavit persequendum Athanasium; prius tamen concilio convocato, et eo condemnato; cui condemnationi qui acquiescere noluerunt, in exilium detrusi sunt.

Igitur Liberius, qui successit Julio, pro fide Niceni Concilii in Tiberiam Thraciæ relegatus est, et Felix diaconus substitutus est ei, qui tamen Nicenam fidem inconcusse servavit, quum sacerdotes quosdam Arrianos, familiares Constantino, a concilio suo expulit et excommunicavit. Unde postea Liberius revocatus est, imperatore indignante factum Felicis. Liberius vero sine discretione quibuslibet communicavit. Facta est igitur persequutio ab Arrianis adeo gravis, ut etiam in ecclesiis, Liberio non prohibente, Catholici necarentur. Passus est itaque Romæ martyr Eusebius; et Felix papa ¶ sede privatus, et alii multi afflicti. Hierosolymis Cyrillus post Maximum; in Alexandria Georgius, et multi alii haretici in aliis ecclesiis; ita quod facta est facies Ecclesiæ fœda nimis, et ubique Catholici deprimerentur.

Scissa vero demum hæresis in tres partes; in Eunominianos,||

¶ FELIX] i. e. Felix the fifth, the antipope.

|| EUNOMINIANOS] so named from Eunomius their founder, who was bishop of Cyzicum, and a stout defender of the Arian heresy.

dicentes per omnia Filium dissimilem Patri tanquam creaturam Creatori; item in Arrianos, dicentes, Filium similem Patri largitate gratiæ, non proprietate naturæ: item, in Macedonianos, dicentes, per omnia Filium similem Patri; spiritum vero Sanctum nihil habere commune cum eis.

Interea, sunt defuncti Constans et Constantius. Unde per idem tempus creatus est Imperator Veteranio, quidam senex illiteratus. Quem deposuit Constantius, quum iret ad expugnandum Magnentium. Et demum victus est Magnentius, et apud Lugdunum se ipsum interfecit. Similiter Decentius frater ejus laqueo se suspendit.

Sciendum quod Magnus Constantinus duos fratres habuit, non uterinos, sed de patre, Dalmatium et Constantium. Sed Dalmatius interemptus est, Constantius vero duos habuit filios, Gallum et Julianum. Et Gallus, Cæsar factus, parum vixit: Julianus scholis vacabat. Evocatus igitur a Constantino, factus est Cæsar contra Galliam; et feliciter ei cessit. Unde, quum placeret militibus, Augustus appellatus est, et indignanti inde Constantio, defuncto successit.

Eo tempore delatæ sunt reliquiæ sancti Andreæ § Constantinopolim, et Lucæ Evangelistæ, et Timothei. Et prodierunt Anthropomorphitæ,* qui lineamenta corporea ponebant in Deo.

Anno igitur ab Incarnatione CCCLXIV, imperavit duobus annis Julianus. Hic quum fuisset baptizatus et clericus, factus Imperator, idolatra fuit, prius in occulto et postea in manifesto. Callide enim ab initio et dolose fidem impugnabat, et datis honoribus avertebat homines a fide. Prohibuit enim honores

---

§ RELIQUIÆ SANCTI ANDREÆ] Read A CONSTANTINOPOLI AD ROMAM. A. D. 357, the remains of these two Disciples were transported from Constantinople to Rome. ASPIN'S ANALYS. OF HISTORY. V. I, p. 124.

* ANTHROMORPHITÆ] otherwise called AUDEANS, from one Audeus, a Mesopotamian, their leader. They were so denominated, because they believed the Deity to possess a HUMAN SHAPE, and that consequently man was formed after his bodily (not his moral) image, and that the Patriarchs beheld him with the eyes of the flesh.

et judicia dari Christianis, quia lex sua eos uti gladiis prohibebat. Demum vero suadetur ei Athanasium destruere, quia alias artes magicæ non possent eis quidem prodesse. Jubetur igitur Athanasius quæri ad pœnam; sed et populo palam inferre pœnam jussit, quia cantassent, *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis,* dum traherent sepulcrum Babylæ † martyris, in cujus vicinia non poterant dæmones Apollinis responsa dare. Accitus vero Athanasius inventus est, et non tamen agnitus; et ideo rediit et delituit, donec Julianus occisus obiit. Et exercitus ejus rediit post annum et octo menses.

Idem Julianus, in odium fidei, dedit licentiam re-ædificandi Templum Hierosolymis; ad quod quum convenissent, quicquid in die fecissent, sequenti nocte destruebatur. Venit enim terræ motus, et ipsos Judæos oppressit et suffocavit. Quum autem mane facto obrutos quærerent, venit ignis subitus, et reliquos Judæos succendit. Unde et ab inceptis destiterunt; et insuper multi credere cæperunt. Idem præcepit ut milites sacrificarent, et qui sacrificare nollent, militia expulit, ut Jovinianum et Valentinianum, qui pugno percussit ministrum templi qui eum aspergeret aqua sua. Unde et in custodiam traditus fuit ad pœnam. Quod ei postea venit ad gloriam.

Eo tempore Pagani violaverunt sepulcrum Johannis Baptistæ, comburentes ossa et dispergentes cinerem: ossa tamen semiusta peregrini quidam recollegerunt. Vulneratus demum Julianus, quum morte arctaretur, clamavit, "Vicisti, Galilæe;" * et ita miser

† BABYLAS,] A most worthy bishop, who died a martyr in prison, during the Decian persecution, anno 251.

* VICISTI, GALILÆE] This Emperor, his apostacy apart, is acknowledged by the consentaneous testimony of Christian and Pagan to have been adorned with many virtues as well as great talents: "Vir profecto heroicis connumerandus ingeniis, claritudine rerum et cœlita majestate conspicuus." Ammian., b. 25, v. 4. "Apostatæ Juliano, cujus egregiam indolem decepit amore dominandi sacrilega et detestanda curiositas. &c." AUGUSTIN. DE CIV DEI, l. 5. c. 21.

Principibus tamen e cunctis non defuit unus,

expiravit. Beatus enim Basilius impetravit a Domino, ut martyr Mercurius eum interficeret: quod ipse prius in visione vidisset, et populo pronunciasset. Labianus quoque sophista, quæstor in Perside, similem videt visionem.

Successit ei Jovinianus, qui præelegerat militia exui quam sacrificare. Qui quum traheretur ad imperium, clamavit se nolle Paganis imperare. Quum autem clamarent omnes se Christianos esse, ille imperium suscepit, et de circumseptione hostium eduxit exercitum; facta pace cum hostibus. Huic post VIII menses successit Valentinianus, anno Incarnat. CCCLXVI, et imperavit XI annis. Iste probus et prudens fuit. Cui quum consortem dare vellent commilitones, dixit, "Vestrum fuit mihi dare imperium, eo vero suscepto, meum est cogitare de rebus communibus." Et mox accivit socium Valentem fratrem suum. Qui per uxorem suam factus Arianus, Eudoxio * juravit, se dogma Arrianum professurum. Verum, fratre vivente, repressit propositum. Descendit autem Valentinianus in Italiam, et apud Mediolanum defuncto Ausentio Ariano, qualis eligi deberet episcopus, determinavit, et ut bene agerent rogavit. Et electus est demum Ambrosius Catechumenus, et ab imperatore confirmatus.

Sæviente Valente, Athanasio successit Petrus; sed eum Lucius Arianus episcopus effugavit. Sed et eremitas, qui per Ægyptum errabant et Orientem, nulla reverentia habita miraculis quæ faciebant, impie destruxit. Adeo vero insanire cœpit iniquus Valens, ut apud Edissam pugno percuteret præfectum suum, quia parceret Christianis. Qui quum tandem, pariturus insaniæ Principis, iret ad pœnas innocentium, videns eos, etiam præmunitos ab

---

Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum celeberrimus, ore manuque
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Relligionis, amans ter centum millia Divum:
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi:

Prudentius, in Apotheosi.

* Eudoxio] He was, first, patriarch of Antioch, then of Constantinople, and a great favourer of the Arians.

eodem ut fugerent, properare ad martyrium, rediit nihilominus ad insanum principem; et per constantiam populi, ejus iram repressit; et cessavit persequutio paululum. Mauvia enim, Sarracenorum regina, infestabat Romanos, nec eis pacem dare voluit, nisi Moses quidam, Catholicus Christianus, genti suæ daretur episcopus. Adeo statim cum festinatione [id] fieri oportere decretum est. Quum autem Lucius eum ordinare vellet, ille in publico ordinationem ejus abominatus est, et necessario Catholicos ab exilio revocari oportuit ad ejus ordinationem, in confusionem et in dedecus Lucii.

Sub hoc tempore Valentis, clari erant Dindymus cæcus, et Basilius, et Gregorius. Basilius ordinem formavit monachorum, Gregorius, vitam clericorum; multumque diebus suis fecerunt, et sub tribulatione tyranni. Ambrosio baptizato, octava die ordinatur episcopus. De quo Valentinianus ait, "Gratias ago tibi, Salvator, quoniam huic viro ego quidem corpora, tu autem animas commisisti; et meam electionem tuæ justitiæ convenire voluisti." Et non multo post, quum idem Ambrosius verbum in ecclesia faceret, vidit quidam Arianorum angelum ad aurem stantis episcopi, indicantem ei quod populo nunciare deberet, et eo conversus est ad Fidem.

Fuit et circa ea tempora Martinus, qui ad doctrinam Hilarii Pictaviensis episcopi, multam induit sanctitatem et miraculorum virtutem. Eo quoque tempore data est immunitas Sicambris, ne pararent tributa, quia juvissent Valentinianum contra Barbaros. Hi vero Sicambri de continenti terra venientes per mare, ingressi Tanais ostia fluminis, per Mæotidas paludes, in finibus Pannoniarum castra metati sunt, et civitatem ædificaverunt, quæ *Sicambria* diceretur; unde Franci fuerunt. Quum autem post decennium exigerentur tributa, Franci, aucti numero et viribus, dare noluerrunt; et deinceps immunitatem sibi præsumpserunt; quod non esset qui eos aggredi auderet, Marcomenide et Genebaldo duce præsidentibus. Unde, egressi de Sicambria, plurima Germanorum oppida secus ripas Rheni fluminis pervaserunt. Quorum numerus, quum primo suo adventu in Sicambriam vix ad duodecim millia

fuisset, in tantam coaluerunt gentem, ut esset omnibus formidini et timori. Unde pretio sui sanguinis a tributo soluti, nullum ulterius vectigal solvere voluerunt. Nec fuit quisquam qui eos jure belli posset redigere sub jugo tributi. Marchomenide defuncto, Pharamundus Francis præficitur.

Imperantibus vero Valentiniano et Valente, creatus est imperator Ambianis Granius,‡ filius Valentiniani. Sed Valentiniano defuncto, XImo anno imperii sui milites Italiæ Valentinianum, filium suum tenerum, imperatorem fecerunt, superstitibus adhuc Granio fratre ejus et avunculo ejus Valente. Valens igitur, Deo odibilis, cum nepotibus suis, quatuor annis regnavit. Porro, parvus Valentinianus natus fuit de Justina Ariana. Quæ, vivente marito, nihil ausa est contra Catholicos. Eo vero mortuo, aggressa est Ambrosium, et filium suum inflammavit contra eum, et contra alios Catholicos. Interim Valens in Oriente multis persequutionibus sævit, et pastoribus nudavit ecclesias. Sed postea a Sancto Basilio delinitus est, et visitatus morte filii, quem fecit baptizari ab Arianis, et de agritudine uxoris suæ. Oblitus vero doctrinæ Basilii, quum vellet edicta noxia Catholicis scribere, nullo modo potuit calamum aptare; unde etiam chartam rupit, sed tamen non ab hæresi omnino quievit.

Quarto decimo anno imperii sui, quatuor gentes insurrexerunt ei, quibus præerant duces duo Fridericus et Athalicus, qui quum postea discordarent, Valens tulit opem Athalico, qui et vicit Fredericum. Hujus igitur beneficii gratia petierunt sibi dari episcopum. Quibus Valens dedit Wulfilam Arianum, qui eos pravo incendit dogmate. Postea vero iidem Gothi rebellaverunt, quibus quum occurreret Valens, victus est, et deprehensus fugiens ab hostibus, in villula quadam igni consumptus est, justo Dei judicio.

Post tantum trophæum [Gothi] ceperunt Thraciam et Daciam. Inde dum Friderico Alaricus successisset, cum Stilichone et

‡ GRANIUS] An error, for GRATIANUS. Gratian received the agnomen of ALLEMANICUS for his successes against the Germans or ALMAINS.

Aurelio consulibus intraverunt Italiam. Hac tempestate Messalianorum hæresis orta est, qui dæmonis inoperationem crederent esse spiritum Sanctum, et eucharistiam non prodesse ad salutem. Hos autem Tavianus Antiochenus redarguit et vicit.

Defuncto Valente, imperavit Gratianus cum fratre suo annis VI, vir Catholicus, et modestus et literatus, et sobrius et castus. Quum autem negligeret exercitum, Firmus quidam ¶ contra eum purpuram accepit. Unde Theodosium, virum probatum, accivit ad imperium. Qui barbaras gentes statim devicit, et partes Orientis suscepit. Justina vero, mater Valentiniani parvuli, alumna hæresis Arianæ, filium suum induxit ad persequutionem Ecclesiæ, et maxime persequi cœpit Ambrosium; sed non obtinuit propter populum.

Eo tempore Eunomius dogmatizavit unam mersionem in baptismo, contra quem sancta secunda synodos congregata est apud Byzantium, C et L Patrum. In qua damnatum est dogma Eunominianum. De Britannia prodiit Maximus, vir imperio dignus, nisi tyrannidem arripuisset. Iste habuit Andragathum ducem exercitus, subdolum et factiosum. Qui finxit uxorem Gratiani proxime venturam Lugdunum. Quo quum festinaret Gratianus occurrere, interfectus est ab Andragatho. Audiens Theodosius quod actum fuit, demum converso exercitu ad eos, interfecit Maximum apud Aquileiam. Quo mortuo, præcipitavit Andragathum de navi, et submersus est. Tunc Valentinianus potitus est imperio in pace; sed postea apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus est. Quo mortuo, Arbogastes Eugenium tyrannum fecit imperatorem.

Romæ Liberio successit Damasius. Apud Francos Pharamundo successit Chlodius, et Chlodio Merovæus; qui reges criniti erant. Theodosius imperavit annis XV, et cum Gratiano imperaverat VI annis. Porro, Arbogastes et Eugenius occupaverant Alpes. Ambobus occurrit Theodosius; et Dei tum fretus

¶ FIRMUS QUIDAM] This Firmus was tyrant of Africa, and subsequently defeated and hanged by Theodosius the Elder.

præsidio, stravit captum Eugenium. Et Arbogastes sibi manum injecit, et se occidit. Quippe in ipso congressu bellorum omnia tela conversa sunt in hostes impulsu ventorum, et ita suis armis expugnati sunt. Deinde Theodosius, lapidatis judicibus quibusdam apud Thessalonicam, populum in circo fecit interfici sine delectu nocentis et innocentis. Unde Ambrosius interdixit ei introitum ecclesiæ, et quantum deliquisset edocuit. Imperator vero patienter sustinuit, et non prius ad concionem ecclesiæ admitti meruit, quam post dolores et lacrymas legem scripsit, *Ante summam martis vel præscriptionis*, XXX *diebus expectandum: ut, si injusta fuerit, corrigatur; si vero justa, firmetur.* Quod quum fecisset, introgressus introivit chorum. Ad quem Ambrosius "Egredere, quia purpura imperatores decet, et non sacerdotes.' Hanc itaque conditionem gratanter suscepit imperator; et exivit, cum brevi tamen excusatione, quod ita solitus fuerit facere apud Constantinopolim. Uxor ejus non minori studio Deo placere studebat; circa pauperes curam solicitudine gerens. Factus est igitur Theodosius acceptus Deo et hominibus; adeo ut prophetam Deus ei dederit Johannem Eremitam, qui assignaret ei, quando ad bella procederet et quando desisteret.

Eo tempore surrexit Apollinaris, ‡ dicens, Christum animam rationalem non habere. Cujus sequaces *Apollinaristæ* dicti sunt; sed cito hæresis expiravit. Quum autem Pagani ex occasione insolescerent, imperator, præeligens errantes emendare quam perdere, rescribit, illorum vindictam, quos ante aras sanguis fusus martyres fecerat, non esse poscendam; in quibus dolorem interitus superavit gloria meritorum. De cætero, omnis malorum occasio et origo amputanda est, ut pax fiat. Factum est itaque quod Serapis imago || antiqua confracta est et combusta; et error in totum detectus, et dolus apertus, qui per lapides adamantinos elevabat simulacrum solis ad salutandum Serapim. Hæc statua super

‡ APOLLINARIS] He was bishop of Laodicea.

† SERAPHIS IMAGO] For the various significations of this word, I refer the reader to Collier's historical dictionary, art. SERAPIS.

caput modium habuit, et quidam dicebant esse simulacrum Jovis, quidam, statuam Joseph. Ita per totum mundum errores innotuerunt, et ceciderunt templa Deorum, Christianis evertentibus ea, sicut ipsi prius ecclesias dejecerant. Theodosius enim, lege data, idolorum templa solo tenus præcepit everti, quæ ante eum claudi fecerat Constantinus. Sed impius Julianus ea aperiri fecit: Jovinianus vero immolationes interdixit: perfidus Valens licentiam dedit, ut, quomodo quis vellet, Deum coleret. Iste ergo plus aliis fecit, qui totum cultum delere studuit. Theodosius Ursinus archidiaconus se ordinari fecit adversus Damasium.|| Sed eum expulsum vix pernisit Neapoli esse.

Eo tempore floruit Hieronymus et Dindymus cæcus.

Porro defunctus est demum Theodosius apud Mediolanum, XVIto anno imperii sui, vir clemens animo, et comis humanitate,

---

|| DAMASIUS] The unchristian controversy of POPE and ANTIPOPE began so early as the year 250, between Liberius and Novatian, but by Damasius and his rival Ursinus the schism, or rather the strife, was carried out even to violence and bloodshed:—"Damasius et Ursinus supra humanum modum ad rapiendum episcopatus sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, ad usque mortis vulnerumque discrimina, adjumentis utriusque progressis." AMMIAN. MARCEL. L. xxvii, c. 3. And this author, feeling like a soldier, familiar with the horrors of episcopal ambition and pride, and arguing like a heathen whose prospect is bounded by this transient life, raises no objection and feels no surprise at such disgraceful outrages: "Neque ego abnuo hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere; quum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas." ID.

"ANNO Gratiæ 376, Damasus constituit dicere in ecclesiis, in fine Psalmorum, "Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. MATTHÆI WESTMON. FLORES HISTOR. "And in Damasius' time, was made a Counseyll at Constantinople of seven score bysshopes and ten, against Macedonus the heretyke; he said the holy goost was no god. There was made the Credo, that is songe on sondayes in the churche." Polychron, L. ii, c. 30. Geoffrey le Baker, of Swinbroke, in his Chronicle, assigns the introduction of GLORIA PATRI to the year 370.

munificus, et patiens. Ille consobrinarum nuptias interdixit; et apud Constantinopolim est tumulatus.

Theodosio successit Arcadius cum fratre suo Honorio, anno ab Incarnatione Domini CCC nonagesimo, et imperavit XIII annis. Rufinus procurator fuit Arcadii in partibus Orientis, et Stilicho, Honorii, in partibus Occidentis. Multa in diebus suis per rebelles et seditiones pertulerunt difficilia. Sed Patris merita ei profuerunt, quum variis occasionibus eorum inimici interierunt. Roilus,‡ dux Scythiæ, fulminatus est. Radagasius,¶ rex Gotthorum, qui monachos militare coegit, interfectus est. Alaricus, rex et magister Palatii Occidentalis, qui Eutherium, filium Stilichonis, imperatorem facere moliebatur, defunctus est, eique successit Adevulfus, qui Romam arripuit, et Placidam sororem Arcadii cepit, et duxit in uxorem.

Romæ successit Damasio Siricius, qui pœnitentibus in ultimo viaticum parari præcepit; et ei Anastasius, et ei Innocentius. Hierosolymis sedit Cyrillus; Antiochiæ, Porphyrii successor fuit Alexander; Constantinopoli, Johannes Chrysostomus, qui exosus Augustæ‖ passus est bis exilium; iu quo et diem obiit. Ad cujus rei vindictam grando percussit patriam, et mors Augustam. Eo quoque tempore mortuus est et Sanctus Martinus, et floruit Donatus, qui draconem sputo oris sui interfecit.

Merovæo successit Childericus super Francos. Arcadio, quum regnasset XIII annos cum patre suo et cum fratre suo XIV, successit Theodosius, filius suus VIII annorum. Eo tempore

---

‡ ROILUS] General of the Nomade Scythians, obiit 425.

¶ RHADAGASIUS] He entered Italy with 200,000 men, but Stilicho defeated his army, put him to death, and sold the prisoners.

‖ AUGUSTÆ] The name of Augusta was first given to Livia the wife of Augustus, and afterwards, in imitation of her, the female relations of the Emperors assumed the same appellation. TACIT. ANN. xii, 26. xv, 23. The Augusta in the text was the empress Eudoxia, wife of Arcadius, who procured Chrysostom's banishment on account of his opposition to the erection of her statue.

fuerunt hæretici Priscillianistæ, qui fato omnia ascribebant. Fuit et Pelagius Brito, qui, Juliano quodam comite, multos errores seminavit in Ecclesia. Honorius igitur cum Theodosio parvo imperavit XVI annis. Quibus imperantibus, gentes insolescere cœperunt.

Factus est tyrannus in Britannia Gratianus Municeps; cui occiso Constantinus de infima familia subrogatur: qui statim in Gallias exivit, et in Hispaniam Judices destinavit. Hunc autem apud Aretum occidit Constantius comes, missus ab Honorio. Ei tamen successit nobilis Jovinus; sed statim occubuit. Sed et Attalus, qui tria millia navium et septingentas versus Romam ducere voluit, occisus est a comite Marino.

Adevulpho successit Segericus, et ei Wallia, et ei Theodoricus. Unde Honorius Placidam dedit Constantio in uxorem, qui ex ea habuit Constantinum.

Eo tempore fuit grande bellum, in quo victus est rex Attila, et Theodoricus occisus. Attila tamen, resumptis viribus, multa mala fecit, et Romam irrupit. Pepercit tamen fugitivis in Ecclesiam.

Romæ Innocentio successit Zosimus, et ei Bonefacius, et ei Celestinus. A quo Palladius missus est ad Scotos. Eo tempore scripsit Augustinus, Hipponensis episcopus, et Orosius.

Honorio defuncto, Johannes invasit imperium, quem interfecit Ardaburius, missus a Theodosio. Valentinianum igitur filium Placidæ fecit Augustum Theodosius, et cum eo regnavit, XXIo anno; filiamque suam Eudoxiam dedit ei in uxorem.

His temporibus Africa recessit a subjectione Romana per comitem Bonifacium. Et gens Saxonum venit in Britanniam; et Germanus Autissiodorensis, et Lupus Terracensis, in Britanniam transfretantes, Pelagianam hæresim aboleverunt. Sed et imperatrix Eudoxia, rediens ab Hierosolyma, attulit catenas Sancti Petri; quarum susceptio celebratur kalendis Augusti; ipsa enim dies, in qua angelus Petrum eduxit de carcere, fuit circa Pascha.

Romæ Celestino Sixtus tertius, et ei Leo Papa primus successit. Eo tempore fuit Nestorius hæreticus. Fuit eodem tempore Mamertus, Viennensis episcopus, qui instituit tres dies rogatio-

num, pro terræ motu, et pro lupis, et pro aliis pestilentiis effugandis.

Theodosio*defuncto imperii sui anno XLII, factus est Marcianus imperator, anno Incarnationis Dominicæ CCCCXLIII, et imperavit cum Valentiniano VI annis. Horum imperatorum tempore celebrata est quarta synodus Chalcedone sub Leone papa, DCXXX patrum. In qua Nestorius¶ et Eutyches‖ condemnati fuerunt. Erant etiam illis diebus in Burgundia Tetrarchiæ inter quatuor fratres, Gondebaldum, et Gondegilium, et Childericum, et Godmarum. Childerico, Francorum regi, successit Clodovæus.

Interea Valentinianus occidit Agetium, et servi Agetii deinde Valentinianum. Cui successit Maximus; et ei statim interfecto Avitus, a Romanis creatus. Marciano demum post VI annos et VI menses mortuo, subrogatus est Leo Magnus, anno ab Incarnatione Domini D et L, et imperavit XVI annis. Avitus depositus ab imperio, factus est episcopus Placentinorum. Leo vero Arthemum fecit Cæsarem, cui successit Oliberius, et ei Lucerius, et ei Nepos, qui eum fecit episcopum. Nepos Orestem misit contra Theodoricum vastantem res Romanorum. Qui quum inde reverteretur, Augustulum, filium Nepotis, imperatorem creavit. Qui Orestem interfecit. In isto Augustulo Augustorum privilegium defecit, crescentibus regibus Francorum. Quippe Clodovæus accepit uxorem Crotillidem Christianam; qui a beato Remigio†

---

* THEODOSIO] It must be borne in mind, that to this Theodosius the Britons owed a heavy debt of gratitude, for it was he that rescued their oppressed and prostrate provinces from the grasp of the marauding Picts and Scots. "Theodosius vero, dux nominis inclyti, animi vigore collecto ab Augusta, quam veteres appellavere Londinium, cum milite industria comparato solerti, versis turbatisque Britannorum fortunis opem maximam tulit." AMMIANUS, b. XXVIII, c. 3.

¶ NESTORIUS] The heretic bishop of Constantinople.

‖ EUTYCHES] A Constantinopolitan abbat, who, contending against Nestorius, fell into a new heresy, affirming Christ to be different from The Word.

† A BEATO REMIGIO BAPTIZATUS] Clovis was baptized at Rheims on

baptizatus est postea propter victoriam habitam contra Alemannos. Qui in eo bello vovit se futurum Christianum, si vinceret; et hoc fideliter implevit.

Gondebuldo successit Sigismundus et Godmarus, filii ejus, in Burgundia. Romæ Leoni successit Hilarius, et ei Simplicius, et ei Felix tertius, et ei Gelasius, qui præfationes fecit et orationes; et ei Anastasius. Eo quoque tempore Hunericus, rex Vandalorum, Arianus, multos catholicos cruciavit, et linguis privavit. Leo imperator, XVIto anno imperii sui, fecit Zenonem, generum suum, magistrum Orientis; Basilicum, Verinæ Augustæ fratrem, Thraciæ magistrum; Leonem, filium suum, Augustum. Qui imperavit uno anno, factusque est Cæsar Basiliscus. Sed Zenon imperator, qui imperavit duobus annis cum Basilisco, et XV solus,—iste scripsit Enticon‡ librum contra fidem, et regi Theodorico commisit curam palatii sui; et demum dato ei honore patriciatus, destinavit eum in Italiam. Qui ibi suum et non Zenonis gessit negotium. Finitimos enim reges sibi matrimonio copulavit, et sedem suam constituit apud Ravennam; homo Arianæ sectæ, perniciosus Ecclesiæ.

Romæ Gelasio sedente, inventa est crypta Sancti Michaelis in monte Gargano. Et scripsit Fulgentius, episcopus Rupensis. Post Gelasium fuit Anastasius. Post quem fuerunt duo, Symmachus et Laurentius. Quod quum accidisset, a senatu missi sunt ambo ad Theodoricum, qui præcepit, quod prius ordinatus et cui major pars populi faveret, ipse sederet. Unde abjectus est Laurentius. Post tres vero annos accusato Symmacho, rediit Laurentius. Congregata vero synodo ab eodem Symmacho, C et XV episcoporum, et in ea eo purgato, rediit Symmachus, et

---

Christmas-day, anno 490, by this Sainted Bishop. For his Life, see the GOLDEN LEGEND.

‡ ENTICON] This Edict is generally called THE HENOTICON; it was an expedient for reconciling the orthodox party to the heretical, and thus to secure the repose of the Church and the consequent preservation of the Empire.

abjectus est Laurentius. Zenone mortuo, successit Anastasius, anno ab Incarnatione Domini CCCCLXXXIV, et imperavit XXVII annis. Iste, ab Acatio depravatus, fovebat hæreticos, et persequebatur Catholicos.

Eo tempore Clodovæus, rex Francorum, animatus psallentium voce, in basilica Sancti Martini Turonis dicentium, *Percinxisti me, Domine, virtute ad bellum*, &c. cerva duce Viennam transivit; et occurrens Alarico regi juxta Pictavium, vicit et occidit eum. Et de Burdegalis, post hyemem, transivit Tholosam, quæ caput regni erat; et Amalrico, filio Alarici, fugato in Hispaniam, asportavit inde thesauros. Et rediens Parisios, ædificavit basilicam apostolorum Petri et Pauli.

Eo quoque tempore, Sigismundus, hortatu Aviti, episcopi Viennensis, ædificavit in Burgundia basilicam Sancti Mauricii et sociorum ejus. Interea ab Anastasio insignitus est Clodovæus trabea consulari; et inde appellatus est Augustus. Eo autem mortuo, ei successerunt quatuor filii ejus, XXXmo anno regni sui. Regnavit ergo Theodoricus Metis, Clodomarus Aurelianis, Clotharius Suessionis, Childebertus Parisiis. Crotildis, soror eorum, nupsit Amalrico, in Hispaniam traducta.

Romæ Symmacho successit Hormisda, qui Anastasium corripuit de suo errore. Ille vero superbe respondit, se velle jubere et non juberi; et in sua remansit perfidia. Unde fulmine ictus,

---

• AB ANASTASIO.] La renommée des batailles, des triomphes, et des conquêtes de Clovis vola jusqu' en Orient. L'empereur Anastase qui était souvent aux prises avec les Gothes, charmé de la défaite d' Alaric, pour se concilier en Occident un aussi puissant confederé que Clovis, lui envoya, dit Gregoire de Tours, les codicilles du consulat. Clovis, pour paroitre en cette qualité, se revêtit dans l' Eglise de Saint Martin, d'une tunique de pourpre et d'une Chlamyde (TRABEA CONSULARI) mit à sa tête un diadême, monta à cheval, et allant depuis l'eglise de Saint Martin jusqu' à l'eglise de la ville, il fit des largesses au peuple, lui jettant lui-même l'or de et de l'argent. Depuis ce tems-là il reçut des acclamations comme Consul et Auguste. MONTFAUCON'S ANTIQ. MON. FRANCAIS v. I, p. 28.

expiravit. Cui successit Justinus, Christianissimus imperator, anno ab Incarnatione Domini DXI, et imperavit XXIII annis. Ad hunc misit Hormisda nuncios pro liberandis catholicis, quos Anastasius in exilium detruserat; et statim liberati sunt. Ad eundem venit Johannes, successor Hormisdæ, et impetratis quæ volebat, et honeste dimissus, venit Ravennam, et ab iniquo Theodorico captus et incarceratus cum Symmacho patricio,† et cum Boethio philosopho interemptus est. Mortuus est autem cito postea terribili morte Theodoricus, Cujus animam vidit eremita quidam detrudi in ignem Vulcani et in ejus ollam ad pœnam.

Ei vero successit nepos ejus Athalaricus, et ei Theobaldus. Iisdem temporibus, filii Clodovæi regnum Burgundiæ suo regno asciverunt, occisis Sigismundo et Godinaro. Sed et regnum Thuringorum Hermefredi, cujus neptem Radegundam duxit Clotharius, et habuit, donec ipsa Pictavis‡ religionis habitum suscepit, et in eo sanctam vitam finivit.

Sed et magnam partem Italiæ et Hispaniæ subjugaverunt. Unde reversus Childebertus, cum stola beati Innocentii, in ejus honorem construxit ecclesiam extra Parisios, quæ nunc, quasi mutato nomine tituli, dicitur Sancti Germani; sicut ecclesia Apostolorum, Sanctæ Genovevæ.

Romæ, post Johannem sedit Felix, et post eum Bonifacius, et post eum Johannes Secundus, et post eum Agapitus. Eo tempore fuit Sidonius episcopus; eoque tempore fuit Alboinus, filius Aldom, qui introduxit Longobardos de Pannonia in Italiam.

Justino successit Justinianus Magnus, anno Incarnationis Dominicæ DXXXIIII, et imperavit annis XXXVIII et XI diebus. Iste de multis gentibus triumphavit. Septimo quippe

† SYMMACHUS—BOETIUS] Symmachus was prefect of Rome: Boethius, a peripatetic philosopher.

‡ RADEGUNDA —PICTAVIS] Where she built the abbey of the Holy Cross; and where she died anno 587. Elle quitta depuis la cour, se retira à Poitiers, y prit l'habit de Religieuse, et fonda un monastère, où elle vécut avec une grande reputation de sancteté. MONTFAUCON.

anno imperii sui per Belisarium in Vandalos et Gelemerum triumphavit. Quod audiens Theoadus misit Utigem, cum exercitu contra eum. Qui Utiges, statim rex factus, sprevit dominum suum Theoadum; et traducta nepte Theodorici macescente, continuo anno Romam obsedit. Sed demum a Belisario fugatus, apud Ravennam captus, deportatus est Constantinopolim. Porro Gotthi demum Totilem regem creaverunt, et multas imperio et Fidei persequutiones intulerunt. Hunc tamen per Narsetem ducem interemit Justinianus; et Bucellenum, ducem Francorum, XVo anno imperii sui.

Facta est mortalitas magna, et instituta est festivitas Purificationis Mariæ. Et celebrata est quinta Synodos sub Agapeto papa; in qua depositus est Anthemius, Constantinopolitanus episcopus, fautor hæreticorum. Huic Agapeto successit Silverius, tricesimo anno imperii sui. Declinavit Justinianus a Fide Catholica. Unde præcepit Silverio, ut restitueret Anthemium. Qui quum nollet hæreticum restituere, ab Augusta per Vigilium apocrisiarium factus est monachus Silverius, et missus in exilium. Succedens autem ei Vigilius, ab Augusta interpellatus est restituere Anthemium. Qui quum renueret hæreticum hominem restituere, indignata Augusta vocavit Vigilium, et multis injuriis affecit. Cui dixit Vigilius, "Non me fecerunt venire Justinianus et Theodora,¶ sed Dioclesianus et Eleutheria."

Post Vigilium ordinatur Pelagius. Interea, Justinianus amentiam incurrit, et facto Curopalata§ Justino, XXXVIIIvo anno imperii sui decessit. Eo tempore fuerunt Priscianus grammaticus, et Arator poeta, et Lupus et Fortunatus episcopi, clari vita et moribus.

Justinus igitur, ex Curopalata factus est Imperator, anno

¶ THEODORA] "SAINT Theodora nobilis mulier et speciosa apud Alexandriam, tempore Zenonis imperatoris, virum habebat divitem ac timentem Deum." For the Legend of this Saint, see the GOLDEN LEGEND.

§ CUROPOLATA] The master of the household under the Greek emperors.

Incarnationis Dominicæ DLXXII, et imperavit annis XII et mensibus X et diebus XX. Hic suam uxorem Sophiam coronavit Augustam. Hujus anno septimo completus est cyclus unus* Sancti Paschæ, annorum quingentorum et XXXII, ex quo Christus crucifixus est, Indictione VI, secundum Græcos, a conditione mundi quinquies M et LXV.

Eo tempore Narses patricius accusatus cessit Longino præfecto, et accepta contumelia ab Augusta Sophia, ut rediret et in gynæceo lanarum pensa divideret, respondit se ei telam orditurum, quam non deponeret, quamdiu viveret. Unde Alboinum et Longobardos vocavit in Italiam; qui libenter venerunt, et in præjudicium imperatorum in ea regnaverunt diu. Alboino successerunt per ordinem Eleph, Atharis, Agiluphus, Adoloaldus, Arioaldus, Rotharid, Rodoald, Aripert, et Cibertrid, et Godipertus. Circa hoc quoque tempus, Clotharius, rex Francorum, quatuor filiis suis regnum reliquit; quorum Carembertus fuit Parisiis, Guuterinus Aurelianis, Chelpericus Suessionis, Sigebertus Metis.

Apud Hispaniam Amalrico successit Thedua. Post quem Athanachildus, et post eum Leviacus Leovigildus. Qui de uxore Gausunda habuit Brunechildem. Quam rex Francorum Sigebertus duxit. Chelpericus, dolo Fredegundæ uxoris suæ, cultris occisus est. Cui tamen filius suus, Clotharius successit. Justinus, octavo anno imperii sui, pedibus cœpit infirmari. Unde adoptavit Tiberium, et declaravit eum Augustum, vel imperatorem, anno ab Incarnatione Domini DLXXXII, et imperavit tribus annis et X mensibus et IX diebus. Iste fuit vir catholicus et religiosus. Ejus tempore Gregorius Eutychium hæreticum esse probavit, qui dicebat corpus humanum post Resurrectionem impalpabile esse, et subtilius vento et aere.

---

* CYCLUS UNUS] This term or period was designated CYCLUS PASCHALIS. It was observed and so called, because by it Easter-tide was ascertained. DU CANGE. Upon this consult Collier's Eccles. DICT. VOL. I, p. 97.

Eo quoque tempore Sigebertus, Clotharii filius, est occisus. Cujus regnum Childebertus cum Brunechilda adeptus est. Sed Guntranus mortuus, eidem regnum suum reliquit.

Romæ Pelagio successit Johannes tertius, et ei Benedictus, et ei alter Pelagius.

Childepertus, quum regnasset VII annis in Austria, et quatuor in Burgundia, duos filios sub tutela Brunechildis reliquit hæredes. Quorum unus Austriam, alter regeret Guntorum hæreditatem. His demum mortuis, Clotharius, Chilperici filius, obtinuit integrum Franciæ regnum. Porro Inguidais nupsit Hermigildo, filio Leovigildi, Hispanorum regis. Quem baptizatum fecit abrenunciare hæresi Arianæ. Ob quam causam pater suus eum occidit. Patre vero postea mortuo, Ricaredus successit, qui non patrem, sed fratrem martyrem imitatus est, et regnum ab hæresi purgavit. Tiberius quoque, videns sibi mortem imminere, filiam suam Constantiam donavit Mauricio, viro strenuo, et eum declaravit futurum hæredem. Qui primus de genere Francorum Romano potitus est imperio, anno ab Incarnatione Domini DLXXXVII, et imperavit annis XX et mensibus IIII. Iste fuit vir catholicus, et utilis reipublicæ. Sub hoc tamen derivavit Tiberis, et excessit muros civitatis. Et post inundationem illam sequuta est pestis inguinaria, quæ primum Damasum papam extinxit, et postea populum invasit. Gregorius vero ei successit; et pro illa peste instituit majorem Litaniam, quæ ita fuit ordinata per choros: primo præibant clerici: post eos monachi, tertio moniales, quarto infantes, quinto laici, sexto viduæ, septimo conjugatæ. Itaque Litania ordinata, cessavit pestis inguinaria. Iste Papa Augustinum et Mellitum et Paulum et socios eorum misit ad prædicandum Angliæ. Idem multos libros edidit.

Eo quoque tempore Longobardi invaserunt montem Cassinum. In quo posuerat cœnobium suum Sanctus Benedictus, qui tempore Justiniani multas operatus est virtutes, et celebris fuit virtute et nomine. Porro, Mauricio semper oranti, ut Deus eum præsentialiter puniret, et non in Gehenna, meruit per visionem audire, quod, secundum optionem suam, tradendus erat Phocæ

ad pœnam. Is enim Phocas factus est post eum imperator, qui Mauritium et uxorem ejus et filios fugientes interfecit.

Eo tempore cometes apparuit, et nata sunt prodigia, ut homo quadrupes, et caput duos habens vertices. Sed et in pillo § vir et mulier usque ad lumbos multis apparuerunt.

Phocas, anno ab Incarnatione Domini DXC et XVII, creatus imperator, imperavit annis octo, et Leontiam uxorem suam coronavit Augustam.

Romæ Gregorio successit Sabinus, et ei Bonifacius tertius, et ei Bonifacius quartus. Quo rogante,* instituit Phocas, ut Romana ecclesia esset caput omnium ecclesiarum, quum prius Constantinopolitana prior habebatur. Impetravit etiam, ut Pantheon donaretur consecrandum in honorem omnium sanctorum; sicut prius erat templum omnium idolorum.

Eo tempore rex Avarorum¶ irrupit fines Venetiarum. Cui occurrit Gisulphus, et occubuit. Et postea filii sui et hæredes sublati sunt de medio. Grasulphus successit, qui fuit frater Gisulphi, et factus est Dux Fori Juliani.‖ Apud Gallias Clotharius Brunechildem equis indomitis disrumpi fecit. Phocas demum, crudelis in domesticos, jussu Heraclii patricii interfectus est. Qui factus est imperator, anno ab Incarnatione Domini DCXV, et imperavit XX et uno anno. Hic invenit rempublicam contritam et desolatam. Hujus diebus ascendit Chosroes, rex Persarum, et vastavit Hierosolymam et Syriam, nec oblatis sibi tributis, voluit quiescere. Cepit enim et Ægyptum et Alexandriam.

---

§ PILLO] I cannot guess what can be the meaning of this word.

* QUO ROGANTE] "Anno gratiæ 609 Bonifacius quintus sedit in cathedra Romana: a quo rogatus Phocas imperator statuit ut ecclesia Romana esset caput omnium ecclesiarum et magistra. Nam autea ecclesia Constantinopolitana primam sese scribebat omnium ecclesiarum." MATT. WEST. FLORES HIST. Comment upon a supremacy which dates from 609, and conferred by such a person as Phocas, is superfluous.

¶ AVARORUM] The Avari were a part of the Hunnish nation, who ravaged the empire beyond the Danube, and penetrated into Northern Italy.

‖ DUX FORI JULIANI] Duke of Friuli.

Quod ægre ferens Heraclius, filium suum Heraclium Constantinum coronavit Augustum, et eum commendavit Sergio patriarchæ, et Bonosio patrimo; et profectus est. Tunc Chosroes fugit, et tamen duos prætores suos, Sarabbagam et Sabarsam misit obviam Heraclio. Hos autem et hominem quendam giganteum ad pontem super amnem Saron vicit, et demum occidit. Sed et Razetem occidit; et interventu Dei * Genitricis, cujus iconem secum habebat, omnia prospere agebat. Assumens igitur Chosroes Merdasam filium suum, coronavit eum. Indignatus igitur Siroes primogenitus fœdus iniit cum Heraclio contra Chosroem, solutis omnibus Christianis qui erant in regno sui patris. Fugiens igitur Chosroes demum interceptus est, et in carcere mortuus. Creatus igitur Siroes rex Persarum est. Cui successit Adesar, filius ejus.

Per idem tempus Cyrus Alexandrinus et Sergius Constantinopolitanus in hæresim † Monothelistarum depravarunt Heraclium. Unde, peccatis ejus exigentibus, Sarraceni, Himaro duce, imperium lacerare cœperunt. Occupaverant enim Damascum et regionem Phœnicis et Jerusalem et Antiochiam. Mauhivias enim factus est præfectus et Amiras, ‡ super omnem regionem ab Ægypto

* DEI GENITRICIS] This we believe to be one of the earliest instances of the adoration of the Virgin, and of a saintly image being worn as a talisman.

† MONOTHELISTARUM] They were so called, because they acknowledged but ONE WILL only (not that of the Father) in Jesus Christ, and one nature. They were a kind of offshoot of the Eutychians, from their leader Eutyches, abbat of a celebrated monastery at Constantinople. He taught, that Christ was not consubstantial with man, according to the flesh, that he had a heavenly body that had passed through the Virgin's body, as through a canal; and that there were in him two natures, before the hypostatical union; but that, after this miraculous union, there remained but one nature made up of the two. Consult Baronius on this subject: to notice the prolific spawn of heresies, that sprang up during the earlier ages of the Church would far exceed our limits, and their falsity is shewn by their short duration.

‡ AMIRAS] AMIR apud Arabes DOMINUS: a qua voce ortum ducunt

usque ad Euphratem. Sed et Mahumet pseudopropheta, qui frequenti discursu, et a Judæis Legem et a Christianis Evangelium didicerat, et insuper profanam artem magicæ noverat, præbeba t ducatum gentibus et audaciam. Unde et ille Cadigam, terræ dominam, deceptam traduxit in uxorem, et multos etiam Judæorum decepit dicens se Messiam esse. Cœpit igitur novas leges eis dare; et Arabes sibi fecit adhærere. Dum autem caduco ¶ morbo laboraret et nobilis mulier se deceptam esse doleret, mentitus est ille quod accideret, habito colloquio cum archangelo Raphaële, cujus splendorem et præsentiam non posset in carne sustinere; et ideo aiebat se cadere, et non ex alicujus morbi languore. Ideoque omnes decepit.

Eo tempore Adhesar, filium Sirois, Sabbaraz occidit, quem statim Boranin interfecit. Post quem regnavit Hormisda, quem dejecit Hysmarus. Et ita translatum est regnum ad Arabas longo tempore.

Apud Galliam Clothario successit filius ejus Dagobertus, qui decedens regnum Austrasiorum dedit filio suo Sigeberto, sub tutoribus Cuneberto episcopo Coloniensi et Algisio comite. Neustriam et Burgundiam dedit Clodovæo, sub tutore Egan consiliario suo.

Romæ Bonifacio successit Deusdedit, et ei Bonifacius quintus. Cui subrogatur Honorius, et ei Vitalianus. Constantinopoli post Sergium sedit Pyrrhus, falsi nominis patriarcha.

Floruerunt eo tempore Sulpitius Bificensis, Aldoenus Rothomagensis, Eligius, aurifex, episcopus Noviomensis.

Heraclio defuncto XXXI anno imperii sui, filius ejus, Heraclius Constantinus vix per quatuor menses imperavit, quum a Martina noverca sua veneno extinctus est. Heraclionem fratrem suum

---

AMIRÆ et AMIRALII apud Sarracenos et Turcos. HUMIRAM Græci vocant Principem Sarracenorum; interpretatur autem, ut ferunt, lingua eorum, Præpositus. DU CANGE.

‡ CADUCO MORBO] the falling sickness.

reliquit Augustum. Iste tamen vix sex mensibus regnavit cum matre sua ; quum primo anno lingua præcisa et naso ejus abscisso, turpiter dejectus est ab imperio. Et substitutus est ei Constans filius Heraclii Constantini. Eo tempore Mauhias, Arabum ammiras, missus ab Himaro, cepit Cæsaræam Palæstinam, et occidit VII millia hominum. In regno Gothorum in Hispania Sinualdo successit Sentina, et ei Tholga. In Italia Ariberto Bortarit et Godiperto successerunt.

Constantinus igitur, anno ab Incarnatione Domini DCXLIV creatus, imperavit XXVI annis. Iste etiam incidit in hæresim Monothelitarum, qui asserebant in Christo tantum unam naturam, Paulo Constantinopolitano suggerente. Ea necessitate celebrata est sancta synodos Romæ, in qua condemnatus est Paulus a Martino papa. Unde idem Martinus, vocatus ab imperatore, multis lacessitus injuriis, missus est in exilium ; et alii multi variis persequutionibus afflicti, quod Fidem rectam nollent deserere. Factus igitur imperator, omnibus exosus, statuit aggredi Longobordos, et veniens Beneventum, exceptus est a Grimualdo, et fortiter attritus. Abiit ergo Romam, et excepit eum honorifice papa Vitalianus. Quum ergo venisset ad basilicam Beati Petri, obtulit ei pallium optimum. Et fuit Romæ XII diebus. Videns ergo ornatum urbis, transtulit eum per Tiberim, ut transferret Constantinopolim. Quum igitur rediens, in Sicilia balneum fuisset ingressus, a suis est interfectus. Et substitutus ei Mezentius Armoricus miles ; sed eum defuncti filius, Constantinus, cum occisoribus patris sui interfecit et purpuram assumpsit. Porro, prius imperante Constante, Himarus, dux Arabum, a Persa quodam Margarita, quum fuisset ammiras XII annis, occisus est. Cui successit Humam, cognatus ejus. Eo quoque tempore Mahumet pseudopropheta mortuus est, Abubacaro ei substituto.

Post funus Constantis, venerunt Sarraceni in Siciliam ; et eadem perlata ornamenta, quæ Romæ rapuerat Constans, asportaverunt. Vitalianus, prope eo tempore, Dovernensi Ecclesiæ, quæ nunc

Cantuaria dicitur, ordinavit episcopum Theodorum, * eum qui scripsit LIBRUM PŒNITENTIALEM, et cum aliis quibusdam misit in Angliam, DCLXIII anno ab Incarnatione.

Eo fere tempore, Clodovæo filio Dagoberti regnante, Leodobus construxit cœnobium in agro Floriacensi et Momolum constituit abbatem. Vitaliano successit Adeodatus, et ei Domnus, qui paradisum ante templum Apostoli marmoreis stravit lapidibus. Ei vero successit Agatho.

Constantius igitur, anno ab Incarnatione Domini DCLXXX creatus imperator, imperavit annis XVI. Iste cum Arabibus et Bulgaribus pacem fecit firmam, et curam suam apposuit instaurandis ecclesiis et destruendis hæreticis Monothelitarum. Unde sexta Sancta Synodos † celebrata est CCLXX patrum, anno XIImo Constantini. Gregorius igitur est emendatus, et

---

* Theodore, archbishop of Canterbury, wrote the Penitential Prayers. "Ita suis virtutibus pontificis [Vitaliani] gratiam sibi conciliavit, ut anno 678 per eum evectus fuerit ad Cantuariensem in Anglia archiepiscopatum; quod munus, sanctissime impletum, anno demum 690 una cum vita deposuit. Is autem fuit, qui celeberrimum PŒNITENTIALEM LIBRUM composuit, sensim postea in omnes fere Occidentales ecclesias diffusum, ibi edisserens quota et qualis pœnitentia singulis peccatis indicenda in posterum foret." MURATORI; ANTIQ. ITAL. vol. V, p. 712.——That learned priest, Theodore, succeeded Deodati, as in seat, so in sainting. Never before his time had England so many happy days, nor so many learned men, as under him, and a little after. Much might be said of his sanctity out of Capgrave and others; but I will make an end, with his end, out of an old Manuscript:

Theodore that was of Cabonterburie,
Erchbysschoppe than and eke the hygh Primat
Of fourscore yer of age, so than dyd dye,
That twenty yer and two held that estat,
To grete honore and worshippe fortunat;
The yer of Crist syx hundred forscore and ten,
Was, when hys sowl fro flesh was lesed clen.

WEEVER'S FUN. MON. p. 299.

† SEXTA SANCTA SYNODOS] This Council, surnamed "IN TRULLO," began the 7th of November, 680, and continued till the following September.

Macarius cum complicibus suis depositus et anathematizatus. Huic concilio interfuerunt Agathonis papæ legati. Ipse tamen Agatho Romæ concilium celebravit, et præfatam hæresim condemnavit. Cui concilio interfuit Wilfredus‡ episcopus Eboracensis. Eo tempore translatum est venerabile corpus Beati Benedicti a monte Cassino ad cœnobium abbatis Monoli; quod est in Aurelianensi territorio, in agro Floriano, per Adevulphum monachum. Similiter et corpus beatæ Scholasticæ ¶ apud Cenomannum, anno ab Incarnatione Domini DCLXXIV, a transitu ejus CXXXVIII, quinto Idus Julii.

Eo tempore regnabant in Italia Cunepertus, in Gallia Clodovæus filius Dagoberti. Eo quoque tempore eclipsim lunæ sequuta est pestis gravissima, tribus mensibus, Julio, Augusto, Septembrio. Hæc quoque Ticinium depopulavit, adeo ut civitas habebatur pro derelicto. Visi sunt eo tempore duo angeli, unus bonus, et alius malus, qui venabulum in manu ferebat; et quoties jussu boni angeli ad ostium cujusque feriebat, tot in domo homines moriebantur. Facto autem altari in basilica Sancti Petri ad honorem Sebasti martyris, cessavit pestilentia, remedio tali invento per revelationem.

Romæ Agathoni subrogatus est Leo Secundus. Cui successit

‡ WILFREDUS] Beatus Wilfridus, pro quo Deus miracula operatur, apud Wendalum in Domino requiescens, in Riponensi ecclesia sepelitur. BROMPTON. Wilfred is here styled bishop, not archbishop, of York. He wrote the four Gospels in letters of gold, and died anno 710. Bede and several other chroniclers give him a very high character, although he was ejected from his see unjustly by Theodore, says William of Malmesbury. "Siquidem Theodorus Wilfredum injuste, quantum nostra habet conjectura, ejecerit." DE GEST. PONTIF. LIB. i, p. 196.

† SCHOLASTICA, "sœur de Saint Benoît, née a Norcie, ville d' Italie, sur la fin du cinquième siècle, suivit, comme son frère, la vie ascetique, et etablit une communauté des religieuses. Elle allait visiter son frère tous les ans, et St Benoit l'allait recevoir dans un lieu qui n'etait pas eloigné de sa maison. La dernière année qu' elle lui rendit ce devoir, elle predit sa mort prochaine. S'etant retirée, elle mourut trois jours après, et Saint. Benoit vit l'âme de sa sœur voler vers le ciel, comme une colombe." MORERI.

Benedictus, et ei Johannes, et ei Conon, et ei Sergius. Floruit eo tempore beatus Cuthbertus, || cujus corpus post XI annos effossum, omnino integrum inventum est, incorrupta veste etiam, qua circumdaretur.

Constantino orthodoxo mortuo, successit ei Justinianus filius ejus. Iste juvenis, etiam juvenili consilio usus, concordias quas pater firmaverat, rupit, et Mardartarum exercitum, qui per mare in navibus imperium defenderant ab irruptionibus hostium, penitus removit. Unde et imperium multa incurrit incommoda. Fecit quoque Stephanum, Persam crudelissimum, sacellarium ejus, qui etiam loris Augustam cædere ausus est. Unde Leontio patricio connivente et Gallico patriarcha insurrexit, et Justinianum, naso præciso, relegavit exilio.

Eo tempore Abimelech, princeps Arabum, Persidem et Mesopotamiam sibi subjugavit, et Francorum regnum plurimum defecit eo quod aulici et palatini canes § omnia gubernarent. Defuncto enim Clodovæo, filio Dagoberti, quum regnasset XV annos, tres filios, ex Baltilda regina genitos, hæredes reliquit; Clotharium et Theodoricum et Childebertum. Clotharius vero, secundo regni sui anno exemptus de medio, cessit Theodorico, quem post modicum propter insolentiam Franci propellunt de regno, et Ebrionem, nequissimum procuratorem ejus, apud Lexovium trudunt monasterio, substituto in regno Childeberto. Eo vero post modicum interfecto, Ebronius * prius pulsus ab aula, revocato Theodorico, exivit a monasterio, et multa mala fecit. Inter quæ occidit beatum Leodegarium, Edvensem episcopum, effossis oculis ejus terebro.

Eo tempore Cedvalla, † rex Britonum, relicto regno suo, Romam

|| BEATUS CUTHBERTUS] For the miraculous appearances, at the translation of the body of this eminent Saint, consult William of Malmesbury DE GEST. PONTIF. lib. III, sub finem.

§ PALATINI CANES] the court-flies, the hangers-on at Court.

* EBRONIUS] or, EBROIN, MAIRE DU PALAIS in Neustria, was banished in 669, restored in 679; and assassinated in 681.

† CEDWALLA] or Ceadwall. He was King of Wessex. Like Ina, his

abiit, et baptizatus et mortuus, et sepultus in basilica Sancti Petri, a Sergio papa, qui in sacrario beati Petri eo tempore invenit lignum crucis. Unde FESTUM EXALTATIONIS statutum est. Successit Johannes, post quem sedit alter Johannes, et ei Sisinnius, et ei Constantinus. Leontius igitur, DCCo ab Incarnatione anno nactus imperium, imperavit IV annis. Iste misit Johannem patricium cum stolo ‡ ad expugnandum Arabes. Quo redeunte pro habendo majori stolo, interim exercitus Absimmarum creavit imperatorem, qui statim Romam rediens, Leontium exilio damnavit; et regnavit circa VII annos, donec Justinianus exul, resumptis viribus de adjutorio Caganæ regis Turcorum et Terebelli regis Bulgarorum, qui eum imperio suo restituerent, imperavit sex annis. Gallicum igitur patriarcham oculis privavit, et Absimarrum et omnes fautores ejus interfecit. Sed et misso stolo Chersones, apud quos exulaverat, omnes præter pueros occidi fecit. Qui quum iterum ad occidendum pueros stolum mitteret, submersi sunt, LXVIII millia hominum. Quum igitur furens, tertio mittere vellet, homines illius provinciæ Philippum, qui apud eos exulabat, creaverunt imperatorem. Qui veniens Constantinopolim, occidit Justinianum, et filium ejus Tiberium; et imperavit anno et dimidio, anno ab Incarnatione Domini DCCXXII. Iste quum esset hæreticus, Romæ Constantino papa hæresim suam transmisit. Unde consilio populi sprevit literas ejus Constantinus; et interdixit ejus nomen tanquam indignum chartis inscribi, sive monetæ imprimi. Unde Anastasius, insurgens in eum, privavit eum oculis, et ab imperio deposuit; et ei successit. Imperavit tribus annis et VI mensibus, et Catholicus fuit; et fidem suam scripsit Constantino. Cui successit Gregorius Secundus.

His temporibus Childeberto Dagobertus junior successit, cujus domus procurator fuit Pipinus, Ansegisili filius. Quo mortuo,

---

successor, he is said to have abdicated, and ended his days at Rome.

‡ CUM STOLO] From the Greek στολῷ, with a fleet of ships. See Du Cange in voce.

filius ejus, Cutides|| dictus a malleis, curam habuit palatii. Iste Sarracenos, qui egressi fuerant de Africa in Hispaniam et inde in Guasconiam, duobus prœliis confecit et fugavit, et CCCCLXV millia § Saracenorum interfecit. Iste res erasticas militibus tradidit, quanquam rex non esset, sed præpositus aulæ. Sed etiam contra Saxones et contra Baiocarios et contra Eudonem Aquitanorum ducem dimicavit, et Renifredum comitem expulit de palatio, concessa ei Andegavi sola.

Gregorio successit Gregorius tertius, sub quo instaurata est religio montis Cassini,* per Petronacem; et ei Zacharias. Exercitus Matthasii Theodosium orthodoxum citavit imperatorem, qui Athanasium bello superatum coegit fieri presbyterum. Huic Theodosio post unum annum successit Leo, anno ab incarnatione Domini DCCXXVII, et imperavit annis XXIIII. Ejus tempore Sarraceni tribus annis obsederunt Constantinopolim; sed inde adjutorio Dei fugati, in mari perierunt. Iste imagines et relliquias Sanctorum exterminare voluit; sed sanctus Germanus ei restitit. Qui tamen, post multas vexationes, cessit episcopatu, et substitutus est ei hæreticus Anastasius. Eo tempore Liprandus rex Italiæ, transtulit ossa beati Augustini de Sardinia Ticinum in

|| CUTIDES] i. e. CHARLES THE HAMMERER, called by the French writers, CHARLES MARTEL.

§ Of this immense slaughter the numerical statements, as is usual, vary exceedingly; and the stricture upon this enormous amount of the slain, by the French historian Mezeray, is very judicious, and a very just censure upon those closet-writers, who never saw a battle, and who, marvel-mongers as they are, can so easily put such prodigious armies on paper: "Il en fut tué un nombre prodigieux, non pas pourtant 375000, comme ils disent,—ceux qui couchent de si prodigieuses armées SUR LE PAPIER, n'ont jamais vu 30, 000;——car, il n'y avait en toute leur armée que 80 000 ou 100, 000 hommes. Abderame même, leur general, y perit. MEZERAY, vol. I, p. 318.

* MONTIS CASSINI] Where was a celebrated abbey, in the kingdom of Naples, built and inhabited by Saint Benedict, patriarch of the Western monks. The town of Cassino,—CASSINUM ET MONS CASSINUS,—was in the territory of Labour, at the foot of the mountain where the monastery stood.

monasterium, quod appellatur Cella Aurea. Mortuo Carolo Cutide, obtinuerunt palatium filii ejus, Carolus Magnus et Pipinus. Sed Carolus assumpsit religionis habitum, et Pipinus solus aulæ præpositus fuit. Defuncto Dagoberto, successit ei Theodoricus, et ei Childericus, qui et Hildericus appellatus est, homo inutilis omnino. Unde Pipinus, missis legatis ad papam Zachariam, quæsivit utrum rex esse debet adeo inutilis homo. Respondit Zacharias eum regem censeri et appellari debere, qui alios et se bene regeret. Detruso igitur Hilderico in monasterium, factus est rex Pipinus, qui multos debellavit et fecit Grifonem, fratrem suum, regem Austrasiorum, et Thalasionem, nepotem suum, ducem Baiavorum. Grifo autem postea rebellavit.

Interea, post factum terræ motum Constantinopoli, mortuo Leone, successit filius ejus Constantinus, quum effluxisset ab origine mundi sextus millesimus et ducentesimus quadragesimus octavus, et secundum computationem Ægyptiorum sextus millesimus ducentesimus trigesimus secundus. Constantinus igitur legum persequutor, creatus est imperator DCCLII anno ab Incarnatione Domini, et regnavit annis XXX et quatuor, et mensibus duobus, et diebus XXVI. Hic magicis artibus et sacrificiis et luxuriæ deditus fuit, omnibus diebus vitæ suæ. Unde etiam diebus ejus multa mala inciderunt, quibus tamen magis induratum est cor ejus quam emollitum. Mortis enim pestilentia fines ejus invasit, et Abubalas,† rex Turcorum Mauripilorum, irruit in Africam et Hispaniam, et transtulit ad se principatum Persarum. Demum, impius Anastasius patriarcha evomens stercora sua turpiter expiravit.

Per idem tempus stellæ videbantur cadere de cœlo, ut crederetur fieri dies Judicii. Abubalo successit Abdelas, qui sacra loca profanavit, et relliquias Sanctorum dispersit, et Christianos torsit.

† ABUBALAS] sometimes called ABUBABA, or ABOUL-ABBAS; he was crowned by the Arabians of Syria, upon the death of Marvan or Merwan, in 754.

Hæreticus Constantinus, ‡ qui Anastasio successit, accusatus degradatur, et in circo super asinum turpiter positus est in ludibrium, et postea decollatus. Niceta, succedens ei, erasit imagines Sanctorum, et Tracentius prætor combussit reliquias Sanctorum, et libros venundavit, et multos monachos occidit, et alios pro Fide. Quod et imperator laudavit. Interea, monachi montis Cassini, Carolo Magno monacho instigante, a Zacharia papa impetraverunt ut præciperet sibi reddi corpus beati Benedicti. Cujus rei nuncius licet ipse Carolus Magnus fuisset, non obtinuit: quia Deus eo thesauro Galliam spoliari noluit.

Zachariæ papæ successit Stephanus, qui quum premeretur ab Aistulpho rege Italiæ, in persona sua ad Pipinum pro adjutorio venit, et apud Sanctum Dionysium altare Apostolorum, Petri et Pauli, consecravit. Et postea rediens Romam, Sancto Dionysio basilicam ædificare cœpit. Quem successor ejus Paulus consummavit, institutis in ea Græcis presbyteris.

Pepinus igitur, ingressus Italiam, obsedit Aistulfum, et ab eo accepit quadraginta obsides, quod domino papæ sua restitueret. Reverso vero Pipino, fregit fidem Aistulphus: sed postea venatum pergens, Dei judicio percussus expiravit; et ei successit Desiderius. Pepinus cum filio suo Carolo regiones finitimas omnes expugnavit.

Interea Constantinus, horribiliter mortuus, Leocazarium¶ filium suum reliquit hæredem. Romæ Paulo successit alter Stephanus, et ei Adrianus. Eo tempore fuit sanctus Bonifacius Maguntinus qui in Frisia est martyrizatus. Leocazarius, DCCLXXX ab Incarnatione Domini creatus imperator, imperavit V annis.

‡ HÆRETICUS CONSTANTINUS] According to a very creditable authority, it was Anastasius, and not Constantine who was degraded: the former patriarch was not only degraded, but treated with public ignominy by Constantine Copronymus, and not only so, but was soundly bastinadoed; and set upon an ass with his head towards its tail; yet he was afterwards re-established as patriarch. See BARONIUS and COLLIER'S HIST. DICT.

¶ LEOCAZARIUS.] or Leo IV, surnamed CHAZARUS, or PORPHYROGENITUS obiit 780.

Cujus anno ultimo Niceta interiit, et substitutus est ei Paulus Cyprius, || vir verbo et virtutibus coruscans.

His diebus Pipinus Parisiis obiit, relictis filiis suis Carolo et Carolo Magno; sed Carolus Magnus statim obiit; et Carolus in totum regnum successit. Iste finitimas gentes rebelles perdomuit. Ad eum destinatus est legatus, Petrus nomine, a papa Adriano, petens adjutorium contra regem Desiderium, qui patrio more opprimebat Ecclesiam. Annuens igitur Carolus, obsedit Papiam; et capto demum Desiderio, eum misit in exilium, et filium ejus fugavit de regno, et filium suum Pipinum regem constituit. Venit igitur Romam, ubi, celebrato concilio, congregatis CLVIII episcopis et abbatibus, Adrianus Papa dedit eidem Carolo jus eligendi Summum Pontificem et ordinandi sedem Apostolicam. Dignitatem quoque patriciatus contulit ei; quam tamen solam Constantinus imperator sibi et successoribus suis retinuerat, in donatione urbis et regalium facta beato Silurio, ut imperator semper esset pater urbis et advocatus. Insuper, archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, et ut, nisi a rege laudarentur et investirentur, a nemine consecrarentur; et omnes huic decreto rebelles anathematizavit; et nisi resipiscerent, eorum bona publicari decrevit.

Ejusdem Caroli tempore multus sanguis effusus est. Britannos§ enim et Saxones et Frisones et Dacos et Sclavos expugnavit, et Christianos fieri confecit. Postea Gascones et Hispanos maximo et mirabili exercitu invasit, et per abrupta montium Hispaniam introivit. Notandum vero qua occasione reges Francorum sollicitarentur de Hispania. Quum enim Hispania tota et magna etiam pars Africæ sub Christiana fide profiterentur, adeo ut imperator es Hispaniarum a regibus Africæ tributa perciperent, accidit, ut dicitur, quod imperator familiarem comitem* pro tributis suis in

|| PAULUS CYPRIUS] Paul IV, because he was born in the island of Cyprus.

§ BRITANNOS] the people of Bretagne. * Count Julian.

Africam mitteret forte, ut eo absente licentius uxore præfati comitis interim abuteretur. Quod quum ille reversus comperisset, indoluit, et de vindicando cogitans, domino suo imperatori, ex parte Africanorum regum, intimavit, quod pacem perpetuam cum eo habere desiderarent, et tributa sua plurimum augere, dum tamen omnem occasionem bellorum inter se utrique amoverent. Quod fore æstimarent, si utrinque omnia armamenta amoverentur, fœdere innovato et firmato. Placuit igitur ea conditio imperatori, quia plurimum crederet comiti, et spoliata est armis omnibus Hispania tota. Quædam tamen vidua dolum et damnum de futuro præsagiens, filio suo suasit, ut arma quæ usquam posset acquirere, occultaret, quia pro certo futurum erat ut ea summe necessaria haberet. Amotis armis, missus est idem comes in Africam, qui accepta conditione quam voluit, dolum regibus Africanis detexit; et eos armatos cum innumera multitudine subito traduxit in Hispaniam. Inermi igitur invento imperio, facile totam terram occupaverunt, nisi quatenus, una in parte modica, juvenis, qui matris suæ consilio credidit, suffragio armorum quæ absconderat, viriliter defendit. Unde, et qui apostatare noluerunt, infiniti martyrio coronati sunt.

Factum igitur postea, ut de vicino etiam Hispaniam transirent Sarraceni, et usque in Guasconiam; quos Carolus Martellus destruxit. Motus igitur injuria Carolus Dei et fidei, et animatus humiliatione Sarracenorum, triumphatis prius barbaris finitimis processit in Hispaniam cum prætaxato exercitu. Quum autem de Hispania rediit, insidiis Vasconum magnam sui partem exercitus perdidit, atque Egibardum, Anselmum, Rollandum, majores sui palatii.

Leoni successit Constantinus, filius ejus Christianissimus, * cum

* CONSTANTINUS...CHRISTIANISSIMUS.] The son of Leo the Isaurian, surnamed ICONOCLASTES, or the IMAGE, BREAKER, and COPRONYMUS, because at his baptism he defiled himself; and CABALLINUS, because from his excessive fondness for the smell of horse-dung, he caused it to be burnt in his chamber, as a pastile, and used to have his body rubbed with it. See MORERI's DICT. HISTOR.

matre sua Irena, DCCXX anno † ab Incarnatione Domini, et imperavit annis X. Iste de Sclavis triumphavit. Paulo, Constantinopolitano patriarcha, cedente, sedit Tharasius vir Catholicus, qui septimam sanctam synodon celebravit, CCCL patrum. In qua anathematizavit Anastasium et Constantinum et Nicetam et consentaneos eorum. Postea Irene filium suum custodia sepsit, et imperavit sola V annis. Ille vero postea fretus Armeniorum adjutorio, recepit suum imperium, et omnes matris adjutores exilio damnavit, et quosdam occidit; alios luminibus et linguis privavit, de quibus aliquam suspicionem habere potuit. Irene tamen eum iterato circumvenit, et cepit, et luminibus privavit; et secundo imperavit V annis.

Eo tempore Adriano successit Leo, quem apprehendentes consanguinei Adriani luminibus excæcare voluerunt; sed tamen omninò lumen ei auferre non potuerunt. At illè fugit ad Carolum, qui Romam veniens, ultus est eum, et restituit in sedem suam; et ipse coronavit illum‡ imperatorem, in templo Sancti Petri. Tunc sibi acclamatum est a populo, "Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori, vita et victoria!"

Iste Carolus magnam partem orbis acquisivit bello, et fama amicitia sibi; et patris regnum sui multiplicavit. Sed et filius ejus Lodovicus rebelles patri bello domabat. Recepit igitur imperium anno IIII, VIII kalendas Januarii, post quam Irene, filio suo defuncto, receperat imperium. Nicephorus autem patricius rebellavit contra Irenem, et coronatus est a Tharasio episcopo, et quum ab ea extorsisset ubi thesauri essent, relegavit eam exilio in insulam Lesbon, ubi defuncta est.

Carolus, imperator creatus anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXIV, imperavit circiter annis LX et VII, et multa opera præclara ad Dei honorem et ad decus imperii inchoavit et fecit, ut episcopatus et archiepiscopatus et patriarchatus, divisis

† DCCXX ANNO] Read DCCLXXX ANNO.

‡ CORONAVIT ILLUM] as Emperor of the West and king of Italy, anno 800.

provinciis terrarum. Similiter et abbatias plurimas¶ fundavit, et tam ecclesias quam abbatias amplissimis honoribus et possessionibus et muneribus ditavit, et reliquiarum contributionibus insignivit. Ipse quoque literaturæ et peregrinis linguis ediscendis operam intendit, et filios suos primo studio literarum, postmodum militari disciplina exercuit, et filias suas et neptes lanificiis.

Habuit enim filios, Carolum, Pepinum, et Lodovicum, et Drogonem, et Hugonem; filias Rotruden, Bergam, et Gilliam. Carolus tamen primogenitus, et Pipinus rex Italiæ, et Rotrudes filia, eo vivente interierunt. Pepinus vero habuit filium Bernardum et quinque filias. Quum igitur fines vitæ imminere conspexit, Ludovicum, quem prius ordinaverat regem Aquitaniæ, imperatorem constituit, et Bernardum filium Pepini regem Italiæ fecit. Pepinium vero, quem habuit ex ancilla, propter conjurationem quam in eum fecerat, in cœnobio monachavit.

Vita igitur et moribus conspicuus, et felix prole generosa, noctu dieque horis canonicis ecclesiam frequentabat, et in pauperes munificus erat; et insuper cum principibus infidelibus et Sarracenis, missis exeniis, amicitiam contrahebat, ut refrigerium Christianis, qui sub eis erant, redimeret. Appropinquante vero fine ejus, processerunt eclipses tam solis quam lunæ, et visa est macula tetri coloris in sole VII diebus. Sed etiam porticus inter basilicam et regiam operose constructa, a fundamentis ruit; et pons Rheni ligneus apud Maguntium, quem decennio quasi opus perpetuum ingenti labore construxerat, tribus horis fortuito incendio consumptus est. Sed etiam in expeditione ultima contra Godefridum regem Danorum, aggressus iter in aurora, vidit facem igneam collapsam cœlitus a dextra in lævam; cunctisque signum admirantibus, subito equo ejus cadente graviter collisus est, ita ut fibula sagi ejus et balteus rumperentur, et jaculum de manu ejus

¶ ECCLESIAS ET ABBATIAS PLURIMAS.] Our author has here omitted to inform us, that he founded also the university of Paris.

longius avolaret. Præterea, Aquisgrani palatii tremor, et assiduus laquearіorum crepitus, et excussio tholi recti juxta basilicam, et deletio tituli, quo auctor fuisse basilicæ inscribebatur, vicinæ mortis indicia portenderunt. Hæc autem omnia dissimulans mira cura et diligentia, testamentum confecit; in quo hæredes constituit, et amicos et ministros larga manu muneravit, et mirabili provisione, rerum mobilium facta tripartita divisione, eas in pias causas assignavit. Decessit ergo anno vitæ suæ LXXII, regni sui XLVII, ab Incarnatione DCCCXIIII, Indictione quarta, V calendas Februarias.

Romæ successit Leoni Stephanus quartus, et ei Paschalis. Eo tempore floruit Sanctus Ægidius. Nicephorus crudelis, et avarus, imperavit VIII annos, et clericos et quosque divites oneravit tributis. Secundo anno coronavit Stauracium filium suum. In omni bello superatus est, et demum tributa solvit Aaron || regi Arabum; et postea occisus est, et Stauracius vulneratus. Ei mortuo Michael curopalates successit, et imperavit duobus annis. Ab hoc exegit Nicephorus§ patriarcha scriptum propriæ manus de fide, et mundas manus a sanguine orthodoxorum. Demum factus est munificus et in clerum et in militiam, et Theophylactum* filium suum coronavit Augustum.

Eo tempore Hierosolymis loca sancta profanata sunt. Quum bello victus redisset Michael, factus est imperator quidam Leontius. Et Michael, hoc audiens, fugiens ad ecclesiam, fecit se monachum.

Eo tempore divisum est Sarracenorum regnum. Ludovicus,

|| AARON] called by the Arabians, HAROUN AL RASCHID, Caliph of Bagdad, one of the most potent and fortunate monarchs of the Saracens.

* THEOPHYLACTUM] This is plainly a misnomer; for all the authorities we have consulted call this Emperor THEOPHILUS. He succeeded his father Michael, anno 829.

§ NICEPHORUS] This patriarch was author of an abridgment of Universal History, called HISTORIÆ BREVIARIUM.

anno ab incarnatione Domini DCCCXIIII, creatus imperator, imperavit fere XXV annis, vir clemens et pius, et non bellicosus. Unde tam a liberis suis quam a proceribus multa passus est. Iste in multis ordinavit Ecclesiæ statum et composuit. Duas habuit uxores. De prima genuit Lotharium et Pepinum et Ludovicum. De secunda Carolum, regem Francorum. Lotharius, a Paschali papa coronatus, in ecclesia beati Petri constitutus est Augustus.

Eo tempore venerunt de Roma in Galliam corpora Sanctorum, Sebastiani Suessionis, et Hippolyti † et Tiburtii apud Sanctum Dionysium. Romæ Eugenio successit Valentinianus, et ei Gregorius quartus. Postea, Lotharius patrem suum posuit sub custodia, et Judith exilio relegavit, et Ludovicum captivavit. Sed postea concordia facta per principes, quatuor filiis suis divisit imperium suum. Divisit igitur Lothario Italiam, Ludovico Germaniam, Pepino Aquitaniam, Carolo Franciam. Sed Lotharius fratres turbare statuit. Ad quam turbationem sedandam quum proficisceretur pater, mortuus est anno vitæ LXIV, ab Incarnatione DCCCXLVII, Kalendis Julii. Post cujus obitum, filii adinvicem dimicaverunt; sed Carolus obtinuit victoriam.

Romæ Gregorio successit Sergius, et ei Leo quartus, et ei Benedictus, et ei Nicolaus. Eo tempore Theodulfus abbas Floriacensium, et episcopus Aurelianensis relegatus exilio Andegavis. Quum processio, quam rex sequeretur, transiret prope carcerem in quo erat, decantavit, *Gloria, laus et honor*, et cætera. Et ex eo tempore gratiam invenit apud regem. Et institutum est in ecclesia, ut in ramis Palmarum ubique cantetur. Alexander vero, ut dictum est, instituit aquam benedictam, et oleum bene-

† HIPPOLYTUS, a bishop and martyr, was put to death, anno 230. It appears from St Ambrose, that he had served in the Roman army. "De hoc martyre (Hippolyto) sic dicit Ambrosius, in PRÆFATIONE: Beatus martyr Hippolytus Christum verum ducem considerans, miles ejus esse maluit quam dux militum comprobari."

dici ab episcopo in chrisma singulis annis in die Cœnæ, et vetus prope novum incendi. Instituit et memoriam Dominicæ passionis in confectione Eucharistiæ fieri, et ex aqua et vino tum debere confici. Celestinus, Introitus et Gradualia, et Offertoria, et post conciones ex Psalmis; Telesphorus, jejunium, et *Gloria in Excelsis*; Gregorius, *Kurie Eleeson*, et *Hallelujah*; Gelasius, Collectas et Præfationes; Sixtus apposuit hymnum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* et cætera. Sergius, *Agnus Dei* ter cantari in concione, et litanias in Annunciatione et in Festo Ypapanti, et in Nativitate, et in Assumptione. Damasus *Credo in Deum* apposuit.

Apud Constantinopolim Leo vel Leontius interimitur dolo Michaelis et optimatum; et Michael ei substituitur, qui inter alia munera misit imperatori Ludovico Hierarchiam beati Dionysii.

In Dacia post Godefredam regnavit Hemmineh, patruelis vel filius Godefredi, et pacem fecit cum Carolo, et Hecdomin fluvium fecit regni sui terminum. Post eum vero Sigafrid et Anulo contendentes de regno, cum XI millibus hominum mutuo se occiderunt. Pars vero Anulonis victrix, Remfredum et Haraudem elegerunt. Haraudus vero Remfredum expulit, et cum imperatore fœdus iniit. Qui tamen a filiis Godefredi pulsus, apud Ludovicum imperatorem baptizatus est, et restitutus est in regnum, addita ei Frisia.

Apud Constantinopolim imperavit Theophilus XV annis; Lotharius, usurpans imperium, imperavit XV annis. Filius hujus confirmavit Sergium papam, et unctus est ab eo in regem Longobardorum. Divisum est tandem imperium inter fratres, et habuit Carolus Franciam, Ludovicus Germaniam, Lotharius Italiam. Lotharius vero rex, ad probationem innocentiæ invitatus a papa Adriano, et applicatus ad Eucharistiam, cum omnibus qui cum eo temere accesserunt, eodem anno mortui sunt.

Apud Constantinopolim imperavit Michael et Theodora XV annis. Lothario monachato in Prumia monasterio, Ludovicus,

ilius ejus, imperavit annis XX et unum; et apud Constantinopolim Michael solus XIII annis. Nicholam papam confirmavit Ludovicus, præsens ejus ordinationi. Pater vero suus, Theberga uxore sua derelicta, Waldradam duxit, et scandalo magno fuit et damno sibi et suis. Apud Constantinopolim Basilius quidam ignobilis, exaltatus a Michaele, eum occidit, ne occideretur ab eo insaniente, et imperavit XVII annis.

Romæ Adrianus centesimus quartus præsidet. Carolus, defuncto Lothario, Lotharingiam dividit cum Ludovico. In filiis vero suis magnam sensit calamitatem. Nam Carolomagnum, volentem apostatare, jam diaconum, et vastantem regnum, oculis privavit. Alter Carolus ab Albuino est occisus ignorante.

Romæ sedit Johannes CVus. In Dacia Haraldo successit Ericus. Quo tempore frater Haroldi per Ligerim succendit Turonium, et cepit Andegaviam et Nantiam, et per Sequanam obsedit Parisios; sed non cepit. Tunc etiam Dani Saxoniam vastaverunt, et Brunonem ducem occiderunt cum aliis XII comitibus, et duos episcopos; Frisiam et Trajectum et Coloniam et Treverim et Aquis-granum depopulati sunt, ut etiam palatium facerent equorum stabulum. Horum duces fuerunt Eric, Erdvic; Godefrid, Rodolf, et Hinguar crudelissimus, ‡ qui Alpdam ¶ misit in Angliam. Quo occiso, successit Gonfredus, subjecta Danis Anglia. Circa ea tempora pugnaverunt Orich rex et Urm, princeps Normannorum, ita graviter ut de regio genere solus puer Orich rex remanserit, omnibus aliis occisis. Qui etiam successit in regno, vir justus et sanctus, et conversus ad Fidem, fecit etiam ecclesiam. Infestaverunt etiam regem Ludovicum et Germaniam, tributa exigentes. Locustæ magnæ magni-

‡ HINGUAR CRUDELISSIMUS.] Hoc autem anno (867) venit maximus exercitus Paganorum in terram Anglorum, quorum duces fuerunt Hinguar et Ubba, viri strenuissimi, sed crudelissimi. Hinguar erat ingentis ingenii; Ubba vero fortitudinis admirandæ. HENRY HUNTING. lib. V sub initio.

¶ ALPDAM] Halfden.

tudinis ‡ Franciam depopulantur; et fit fames et pestilentia et hyems gravissima.¶

Ludovicus Imperator in Italia moritur; et patruus ejus Carolus, rex Francorum, Romam pergit, et imperat duobus annis, et statim sprevit consuetudines Franciæ, et adhæsit consuetudini Græcorum, et timidus valde, audacter minabatur, et cœpit lacessere fratrem suum Ludovicum. Ludovicus autem in brevi moritur, et tres filios reliquit hæredes, Ludovicum et Carolum, et Carolum Magnum. Carolus igitur, in hæredes fratris sui consurgens, victus in prælio fugit. Profectus tamen Romam, Bosonem,‖ fratrem uxoris suæ, fecit regem, data ei in uxorem filia Ludovici Imperatoris. In via vero potionatus, interiit apud Mantuam. Filius vero ejus Ludovicus Balbus in Francia regnavit duobus annis. Junior vero Carolus, filius Ludovici,§ imperavit XII annis. Postea vero, tanquam inutilis, repudiatus est, et substitutus est ei Arnulfus, filius Caroli Magni, et regnavit XII annis.

Romanum igitur Imperiom misere discerpitur eo tempore. Ludovici Balbi filius etiam a Francis despicitur puer, et pro eo Odo rex creatur. Rodulfus etiam rex Burgundiorum efficitur.

Romæ sedit Martinus papa, et post eum Agapitus, et post eum Adrianus, et post eum Basilius. Odone demum existente in Guasconia, Franci regem faciunt Carolum, filium Ludovici

‡ LOCUSTÆ] About the month of August, anno 873 (says Aspin in his Tabular Chronology) a swarm of Locusts of prodigious size fall in France; and in the space of even one night devour even the branches and bark of young trees. Soon afterwards they die, and so infect the air with their putrid carcases, as to occasion a pestilence." See DU CHESNE, HIST. FRANC. V. I, p. 368.

¶ HYEMS GRAVISSIMA] In the year 869, was a remarkably hard winter, during which the Adriatic was frozen over, and carriages used on it for the transportation of merchandize. ASPIN.

‖ BOSONEM] He was king of Arles, Provence and Burgundy, and died anno 888.

§ KAROLUS FILIUS LUDOVICI] This prince, who from the weakness of his intellect was surnamed THE SIMPLE, was the son of Louis Balbus, or the Stammerer, by Queen Adelaide.

Balbi; et Normanni cædunt et cæduntur. Veruntamen Carolum tædio et bello adegerunt, ut darent eis terram super Sequanam, quæ modo dicitur Normannia. Odone mortuo, regnavit Carolus XXVII annis.

Romæ Nicholaus CXus sedit. Formosus ei succedit. Iste a papa Johanne anathematizatus, et postea usque ad laicum degradatus, juraverat se non ingressurum Romam. Ab hoc tamen vocatus est Arnulfus Romam, et cepit Leoninam; sed non ulterius profecit, nisi quod ibi coronatus est, et persequutores Formosi persequutus est. Arnulfus, longa ægritudine decoctus, a pediculis * extinctus est. Et Ludovicus filius ejus post eum regnavit X annis. Romæ Johannes sedit, et post Bonifacius papa, et post eum Stephanus, et post eum Romanus, et post eum Theodorus, et post eum Johannes. Hi omnes de ordinatis † a Formoso varie senserunt, et perturbationem Ecclesiæ senserunt.

Interea, gens Hungarorum fines suos egreditur, et longo tempore in Italiam et in Germaniam et in Franciam debacchatur. Romæ Benedictus CXVIIus præsidet, et post eum Leo; quem capiens Christophorus invasit papatum. Sed eum dejecit Sergius. Qui Romam ingressus latenter, Formosum, erutum de sepulchro, abscissis duobus digitis, projecit corpus in Tiberim.

His diebus Hungari redigunt sub tributo Germanos, victo Ludovico et Græcis. Apud Constantinopolim imperant Constantinus et Alexander; sed statim Alexandro mortuo, Constantinus imperavit annis XXXIX. Hungari Bulgaros tributarios faciunt. Romanus quidam humilis genere, demum factus basileus, matrem Constantini duxit in uxorem, et filiam suam donavit Constantino;

---

* A PEDICULIS] He fell a victim to the lousy disease, which was supposed to be the effect of a potion, administered to him by one of his servants, at the instigation of the wife of Guido, Duke of Spoleto. COLLIER.

† HI OMNES DE ORDINATIS.] All these Pontiffs held various opinions concerning the validity of Formosus's Ordinations; but were all equally sensible of the disordered state of the Church, in consequence.

et ita imperialia indumenta et diadema assumpsit, et Christophorum filium suum ad imperandum accivit super dominum suum. Sed mortuus est; filios tamen suos, Stephanum et Constantinum, coronavit, domino suo Constantino victum quærente pingendo. Ludovicus, filius Bosonis, provocatur ad imperium, quem interceptum Berengarius jurare compulit se nunquam amplius ingressurum Italiam. Veruntamen, iterato vocatus, immemor juramenti, Berengarium expulit, et Italiam invasit. Tandem vero apud Veronam a custodibus civitatis, corruptis auro, oculis privatur. Unde etiam Hungari cum eodem Berengario fœderati, Alemanniam vastant. Ludovicus rex Germaniæ moritur non assequutus benedictionem Imperialem. Sed et Conradus succedens, ea caruit benedictione; et regnavit VII annis. Et Carolus, rex Francorum, regnum Lotharingiæ habuit.

Roma Anæstasius, et post eum Johannes. Post Conradum imperavit Henricus, filius Othonis ducis Saxoniæ, X et VIII annis. Eo tempore conversi sunt Boemi ad Fidem. Iste Henricus novit se deleturum hæresim Simoniacam, si vinceret Hungaros cum Salardo duce suo. Vicit igitur et pæne delevit eos. Hic de condemnatis furibus et prædonibus et similibus legionem collegit, et eos contra barbaros destinavit, et ut solis civibus parcerent, edixit. Rex Carolus et Henricus ineunt pacem. Carolus contra Robertum ducem fratrem regis Othonis dimicat, et eum occidit. Unde, postea captivatur a comite Herberto. Rodulphus, rex Burgundiorum, expulso Berengario, regnum Italiæ tenuit III annis. Mortuo Berengario, Hungari in Italia debacchantur. Radulfus regnat in Francia. Ludovicus, filius Caroli, fugit in Angliam; sed postea rediens, restitutus regnavit XXVII annis. In Dacia Orico juniori successit Heligon; et ei Olaff, veniens de Suevia, vi et armis adeptus est imperium. Post Olaff regnaverunt Chenop, Gurd, Sigerich. Radulfus rex spernitur ab Italis, et subrogatur ei Hugo, comes Arelatensium. Henricus lanceam Sancti Mauricii et clavos Crucis extorsit a Sansone comite Burgundiæ, et ea reliquit posteris suis insignia in munere. Idem reges Nor-

mannos fecit Christianos; Danos et Frisones vicit, et reges eorum Christianos fecit.

Romæ sedit Stephanus CXXVus et post eum Johannes, et post eum Leo. Eo tempore in Genuensi urbe fons sanguinis erupit. Rodulfus, rex Burgundiæ, moritur, et rex Ruthenorum ‡ ab Imperatore Romano vincitur. Rex Henricus moritur citra benedictionem Imperialem; et filius ejus Otto XXXVI annis imperavit, habens uxorem filiam Edmundi regis Anglorum. Multos habuit rebelles de palatio suo.

Romæ sedit Stephanus, et post eum Marinus. Sub Ottone, gladiatorio judicio obtentum est, quod filii fratrum cum patris hæreditent. Stephanus et Constantinus Imperatores patrem suum Romanum tonsoratum truserunt in monasterium. Ad quod quum vellent eodem modo detrudere Constantinum, detecto dolo eorum, ipsi tonsorati ad patrem applicantur; deinceps solo Constantino imperante, XVI annis. Eo tempore regi Ludovico comes Hugo Parisiensis † adversatur, sed demum impugnatur et vincitur. Postea vero capto Ludovico a Normannis dolo Hugonis, liberatus est ab Ottone imperatore; et coactus est Hugo dare manus Ottoni. Eo tempore Taxis, rex Hungarorum, decem modios nummorum habuit pro tributo a Berengario rege Italiæ: In Dacia post filios Olaff regnavit Urm, filius Herdegon. Post Urm Harioldus, qui leges, quas nunc habent, constituit Danis et Frisonibus et Transalpinis, et firmavit: Victus autem in prælio ab Ottone imperatore, baptizatus est, cum uxore sua et filio suo Swenotto, qui postea patrem suum grandævum expulit a regno in Flandriam, ubi mortuus est. Ericus vero parricidam expulit a regno, et habuit filium Olaff. Erico vero mortuo, rediit Suenotto, et accepit uxorem Erici, et ex ea genuit Cnud. *

Eo quoque tempore fuit primus rex in Norweia, Halium, qui genuit Truconem, et ille Olaff, qui etiam Crachabien. Qui, victus

† HUGO PARISIENSIS,] father of Hugh Capet, grand duke of France.

‡ REX RUTHINORUM.] The King of the Russians,—Ab Imperatore Romano, by the Emperor Romanus II.

* CNUD] otherwise called Canute.

a Suenotto, submersus est navali bello. Cujus tamen filius Olaff postea martyr factus est. Berengarius, expulsus a rege Rodulpho, revertitur in Italiam, et rex Hugo rediit Arelatum, relicto filio suo in Italia. Rex Otto filium suum Lidulfum designat sibi futurum hæredem, qui tamen postea contra patrem rebellavit. Ludovico Francorum rege mortuo, Lotharius regnavit XXXI annis.

Romæ sedit Johannes CXXXIus. Lidulfo mortuo, Otto minor ¶ coronatur; et in multis meliorantur status Ecclesiæ, et Imperii. Apud Constantinopolim, Romano mortuo, imperavit Nicephorus X annis. Otto a Johanne in imperatorem benedicitur. Johannes papa infamatur; et, quum ad excusandum venire cunctaretur, Leo quidam laicus‖ ei substituitur a Romanis. Johanne postea admisso, celebrata Synodo, deposuit Leonem, et ejus acta cassavit. Johannes vero postea, oblectans cum muliere quadam, percussus est a Diabolo, et mortuus sine viatico. Romani juraverunt quod sine consensu Ottonis papam non facerent. Fecerunt tamen Benedictum. Quo postea rejecto per Ottonem, sedit Leo; post eum Johannes. Eo tempore Danis colentibus Christum et idolo a Popone clerico ignito ferri massa, quod illæsa manu portavit, solum Christum coli obtinuit. Eo tempore miles, arreptus a dæmonio, liberatus est per catenas Sancti Petri coram Ottone. Eo tempore Theodoricus, Metensium episcopus, multa corpora Sanctorum attulit ex Italia. Apud Constantinopolim Nicephorus senex, volens eunuchizare filios suos, ne truderent eum in exilium, consilio matris eorum a Johanne† peremptus est. Qui imperavit V annis. Eo tempore visæ sunt igneæ acies in cœlo. Pacificantur et invicem Otto et Lotharius, abjurata Lotharingia a Lothario, et data fratri Lotharii Carolo. Eo tempore

---

¶ OTTO MINOR.] Otho the Second, called the Bloody; because he massacred the principal of his nobility, at a magnificent banquet, to which he had invited them, anno 981.

‖ LEO LAICUS.] Leo, the antipope; he sat three months, and was expelled, anno 964.

† A JOHANNE.] John Zimisces, the gallant of his empress, Theophania.

Radamirus, Imperator Hispaniæ,¶ Adarram, regem Sarracenorum, gravi confecit prælio.

Romæ post Joannem sedit alius Joannes, et post eum Joannes tertius. Ottone mortuo, imperavit filius ejus, Otto tertius, XIX annis. Lothario mortuo, regnavit filius ejus Ludovicus. Quo mortuo, regnum transferendum erat ad Carolum fratrem Lotharii. Obtinuit autem et successit Hugo, filius Hugonis,‖ ducis Parisiensis. Circa ea tempora, Imperator Hispaniæ, habens unicam neptem hæredem, habito consilio cum principibus, vocavit Raimundum, ducem Burgundiæ, virum illustrem, de prosapia, ut, dicitur, Carolorum, strenuum valde et prudentem et nominatum, et dedit ei neptem et Imperium, post mortem suam. Idem Raimundus Sarracenos suo tempore graviter attrivit. Et de uxore sua habuit Xanthium.* Qui et ipse prudens fuit et probus, et Sarracenis semper infestus. Carolus, dux Lotharingiæ, bello cœpit lacessere Hugonem regem, et tandem Remim cepit, et archiepiscopum Hugonis exilio damnavit. Et postea obiit, relicto Ottone filio suo in ducatum. Remis synodos congregatur, et deponitur archiepiscopus Caroli, et Gerebertus substituitur. Qui quia Arnulfum episcopum sine conscientia Romani pontificis deposuit, degradatus fugit ad Othonem imperatorem, qui eum fecit archiepiscopum Ravennæ, et postea papam Romæ. Unde monostichon :

Transit ab R. Gerebertus ad R. trans papa vigens R.†

¶ IMPERATOR HISPANIÆ.] or Ramirus II, King of Leon and Asturias, who defeated the Saracens with the loss of 80,000 men, at Salamanca, ASPIN. Mais la plus célébre de ses victoires fut celle qu'il remporta, le 6 Août, 939, dans les plains de Simancas, contre Abderame III, caliph de Cardoue. Les historiens Espagnols assurent qu'il resta quatre-vingt mille Mussulmans sur le champ de bataille. BIOGR. UNIVERSELLE.

‖ HUGO FILIUS HUGONIS.] Apres la mort de Louis, Hugues Capet, Comte de Paris, duc de France, declara hautement ses pretensions sur la couronne. MONFAUCON, VI, p. 350.

* Sancho, surnamed the Fat, succeeded his brother Ordonnus in 956.

† TRANSIT R.] thus, in extenso : " Transit ab Remis Gerebertus ad Ravennas, trans papa vigens ad Romam. " In this line the chief merit

Fit Otto imperator. Hugone Francorum rege mortuo, Robertus filius ejus regnavit XXXIIII annis.

Romæ Gregorius sedit et post eum Johannes, Gerebertus, Silvester, Agapitus, CXLIIIIus. Hic vero eximitur a catalogo Apostolicorum virorum. Hoc tempore quidam peregrinus, de Hierosolymis veniens, docuit quendam inclusum hospitem suum in Sicilia, animas torqueri in ollis Vulcani, quæ orationibus Cluniacensium frequenter eruebantur. Unde Abbas Odilo constituit ut in secunda feria post festum Omnium Sanctorum, habeatur memoria defunctorum celebris. Qui ritus transiit in orbem terrarum. Otto imperator, Romæ dum ageret de statu Ecclesiæ et Imperii reparando, obsessus palatio, vix evasit, et mortuus est postea in Lombardia. Cui Henricus dux Baioariæ successit raptis insigniis regalibus de manu Hilleberti, Coloniensis archiepiscopi, et imperavit annis XII.

Romæ sedit Johannes CXLVus et post eum Johannes alius. Henricus omnes celeriter rebellare volentes devicit. Mortuo Ottone duce Lotharingiæ, datur ducatus comiti Godefrido, filio Godefridi Ardeniæ. Fames et mortalitas invaluerunt per orbem. Sergius Romæ præsidet, et post eum Benedictus. Gens Hungarorum convertitur ad Fidem per Gillam, sororem imperatoris, nuptam Sancto Stephano ‡ regi eorum. Henricus in imperatorem benedicitur, et Godefridum comitem mittit contra Gerardum infestantem imperium. Henricus et Robertus, rex Francorum, conveniunt, acturi de statu Ecclesiæ et Imperii et Regni.

Et imperator magnifice regem et servos muneravit. Henricus moritur, et substituitur ei Conradus, ¶ et imperavit XV annis. Conradus filium suum adhuc puerum sublimavit Aquis. || Roberto

---

consists in an accidentality of the proper names, each commencing with the letter R. It may be imitated in English thus :

He rolled from Rheims to Ravennæ,
And then rolled to the Roman see,
Oh, what a rolling rogue was he!

‡ SANCTO STEPHANO] The first king of Hungary, A. D. 1002.

rege Francorum mortuo, regnavit Henricus filius ejus XXX annis. Eo tempore dictum est de cœlo venisse mandatum, Ne quis arma ferret, nec sua repeteret, sed cuique quamcunque injuriam remitteret, et omni sexta feria in pane et aqua jejunaret, et Sabbato a carne et a legumine abstineret. Hoc quoque sufficere prædicabatur pro omni peccato. Hoc autem oportuit observatores jurare aut privari Christianitate. Alia quoque importabilia indicebantur. Gerardus vero Cameracensis restitit, et singula capitula zelatorum talium constitutionum refellebat, et enormitates illas ad statum et formam Catholici regiminis convertit.

Benedictus præsidet Romæ CLus. Normanni Apuliam aggrediuntur, [et] quum vi tum dolo agunt. Apud Constantinopolim imperat Constantius monachus. Post Benedictum sedit Silvester et post eum Gregorius, et demum Clemens, et postea Damasus, et post eum Leo. Qui statum Ecclesiæ melioravit in Germania et Gallia. Romæ uno contra duos de papatu disceptantibus, accessit imperator Henricus, et eis depositis, Suidigerum, Bambriensem episcopum, fecit papam, et benedictus est in imperatorem. Huic juratum est a Romanis, quod nunquam eligerent papam inconsulto imperatore. Circa ea tempora, surrexit Berengarius * Turonensis, qui diceret Eucharistiam non

---

‖ AQUIS] or Aquisgrani, Aix-la-chapelle.

¶ CONRADUS] Was the first elected Emperor of Germany, anno 913.

* BERENGARIUS TURONENSIS.] Berenger of Tours He was Archdeacon of Angiers, and treasurer and rector of Saint Martin's of Tours, whereof he was a native. COLLIER'S DICT. It is surprising, that in that dark and priest-ridden age any man, much more an ecclesiastic, should have the moral courage to brave universal opinion, by daring to oppose the growing tenet of Transubstantiation. He was, however, obliged subsequently to recant in a Council at Tours, holden by the command of Victor the Second, whose legate was the famous Hildebrand, afterwards Gregory VII. In Collier's Dictionary is recorded an epitaph, as simple and elegant as it is just and well merited, upon this pious and enlightened Divine from the pen of Hildebert, archbishop of Tours, his intimate friend:

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.

esse verum corpus Christi, sed figuram ejus; sed postea correptus est et correctus.

Romæ post Leonem sedit Victor, quo præsente, imperatore Henrico mortuo, successit filius ejus Henricus et imperavit annis L. Romæ post Victorem sedit Stephanus, demum Benedictus, et postea Nicholaus, et post eum Alexander, quem turbavit Chadolus * aspirans ad papatum. Paulo priori tempore in Dacia, defuncto Suenotto, regnavit Cnud, qui habuit Norweiam et Daciam et Angliam. Quo mortuo, filius ejus Haroldus habuit Angliam; Swene Normanniam; Hardecnud Daciam; qui erat filius legitimus ex Imma; cujus sororem duxit imperator Henricus; alii erant de concubina. Haroldo mortuo, Hardecnud habuit Angliam cum Dacia. Suein mortuo, Normanni fecerunt regem, Magnum, filium Olaph martyris. Qui Daciam, Hardecnud existente in Anglia, cepit. Contra quem quum progrederetur Suein ad pugnam, victus rediit in Angliam. Hardecnud mortuo, et substituto ei fratre ejus Edwardo qui pacem fecit cum Suein, promissa ei hæreditate post mortem suam, Magnus Dacus occurrit volentibus vindicare Ratibor principem suum, quem Dani occiderunt, et ex eis occidit XV millia. Suein cum Magno pugnavit, et victus fugit ad Jacobum regem Sueorum, et ejus adjutorio instaurato navali prælio Magnum dejecit, et obtinuit Daciam. Festinavit igitur in Angliam navigare; sed Edoardus cum eo pacem fecit promisso tributo. ‡

Quicquid philosophi, quicquid cecinere poetæ,
Ingenio cessit eloquioque suo.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem Natura parens mundi quum contulit, inquit:
"Degenerant alii, nascitur ille mihi."

† CHADOLUS] or Cadolous, bishop of Parma, chosen anti-pope, in 1061.

‡ SWEYNO] Concerning the fortunes of Sweyn, or Suenotto, the SAXON CHRONICLE in this point directly contradicts our author, for the former affirms, that he did not defeat Magnus, nor obtain Denmark, nor

Circa ea tempora, inter Hungaros intestino bello moto, Petrum regem eorum ab Abone expulsum, imperator Henricus restituit regno, et fecit sibi tributarium. Item et contra Salomonem regem suum rebellaverunt. Circa ea quoque tempora, Robertus Wischardus, || a Samsone ostiario comitis Guilielmi Normanniæ percussus, ex indignatione transivit in Apuliam, ubi vi et dolo in brevi multum proficiens, acquisivit Apuliam et Calabriam et Siciliam: et eatenus invaluit, ut uno die bello confecerit, et ad fugam abegerit citra mare imperatorem Romanum, et ultra mare imperatorem Constantinopolitanum, et in mari ducem Venetiarum. Habuit enim tres filios egregios, Tancredum, et Boemundum et Rogerum. Quorum duo, Boemundus et Tancredus, insignes fuerunt in expeditione Jerosolymitana, et in obsidione Antiochiæ.§ Præmortuis vero Tancredo et Boemundo, Rogerus adeptus est Calabriam et Siciliam et Apuliam, et Africam civitatem. Unde et circumscriptio sigilli ejus erat

Apulus et Calaber Siculus mihi servit et Afer.

CONDESCEND to a peace with the English Monarch. On the contrary "Sweyne sent hither, and requested the aid of fifty ships against Magnus, king of the Norwegians; but it was thought unwise by all the people, and it was prevented, because that Magnus had a large navy; and he drove Sweyne out, and with much slaughter won the land." (ANNO 1047) Again: "to England came back again Earl Sweyne, who had gone from this landto Denmark, and there ruined his cause with the Danes. He came hither with a pretence, saying that he would again submit to the King and be his man (liegeman) anno 1049." Ralph Niger has, no doubt, generally, drawn from the purest sources his supplies for this Epitome; but in any point of Anglo-Saxon History no authority is equivalent to that of the SAXON CHRONCLE,—written and continned by authors contemporaneous with the events which they record.

|| ROBERTUS WISCHARDUS] or ROBERT GUICHARD, as he is more generally called by French historians. In the year 1058, this enterprising warrior, this chivalrous conqueror, the father, too, of a vigorous and brave race of sons, was Duke of Apulia aud Calabria, (parts of the present kingdom of Naples) and expelled the Saracens from Sicily. And he still proceeded in his long and glorious career, conquering and to conquer, as Ordericus

Henrico regi Franciæ successit filius ejus 'hilippus, et regnavit XLIX annis. Eo tempore* obiit Edwardus, rex Angliæ, et succesit ei Haraldus, filius Godwini comitis. ¶ Hardwichus vero, Nordanumbrorum rex, voluit regnare; sed Haroldus eum occidit apud Eboracum. Eundem vero Haroldum Guillelmus, comes Normannorum, veniens in Angliam occidit, quod contra fidem venerat quod ei juraverat; et regnavit XXV annis.

Eadelone disceptante de papatu cum Alexandro, apud Mantuam, coram Annone, archiepiscopo Coloniensi, purgato Alexandro, in synodo, de simonia, abjectus est Cadolus. Annon

---

Vitalis has written: "ROBERTUS WISCHARDUS ex omni ducatu Apuliæ et Calabriæ fortem exercitum Normannorum et Langobardorum contraxit et valida classe parata, portum Otrantæ intravit; deinde, prosperis ventis spirantibus, per mare Dyrrachio applicuit, et oppidanis viriliter obstantibus, in fine mensis Junii urbem obsedit. In exercitu quippe suo non plus quam DECEM MILLIA bellatorum habebat, &c. LIB. VII. p. 641.

¶ IN OBSIDIONE ANTIOCHIÆ.] The valour and devotion to the Holy cause of these invincible brothers, INVICTORUM PRINCIPUM, was justly and amply rewarded by the confederate Princes, of this Crusade, who bestowed upon them the sovereignty of that city and province. But they died prematurely leaving their conquest to their brother Roger; and all Christendom mourned the loss of these holy champions. "Anno MCXI, Indictione quarta, MARCUS BOEMUNDUS, post multos agones et triumphos in nomine Jesu, Antiochiæ obiit. Cui laudabilis miles ad confutandos Ethnicos TANCREDUS per aliquot annos successit. Quo defuncto, Rogerus, Richardi filius, præfatorum principum consobrinus, Antiochiæ principatum suscepit; sed infortunio præpeditus, parvo tempore tenuit. Invictorum siquidem principum mors per totum mundum audita est. Unde luctus Christianis et lætitia Paganis ingens exorta est. ORDERICUS VITALIS, XI. p. 824.

* Edward the Confessor died in the early part of 1066.

§ HARDWICHUS NORDANUMBRORUM REX.] In this passage there must be a mistake, of the transcriber probably; for there had been no King of Northumberland, for more than two centuries. The Prince who was defeated and slain near York was Harold of Norway: "There was slain HAROLD, the fair-haired King of Norway, and Earl Tosty, and a multitude of people with them, bot of Normans and English." SAX. CHRON.

enim archiepiscopus fuit tutor et curator imperatoris Henrici, erepto imperio et puero de manu ejus.

Romæ sedit Gregorius, qui prohibuit sacerdotes uxores habere. Iste Hillebrandus appellatus est. Cujus dicta et facta imperator Henricus, collecta synodo Warmaciæ, constituit irritare, et fecit eum abjurari. Hillebrandus vero, e contra, eum excommunicavit. Qua de causa quidam principes imperatori tanquam excommunicato contradixerunt obedire. Veniens autem postea imperator, judicato Gregorio et deposito, papam fecit Gerebertum. Qui de Remensi archiepiscopatu transierat Ravennam. Gregorius vero, obsessa Roma, fugit Salernam, et ibi mortuus est. Quum autem mors immineret ei, confessus est se peccasse in cura pastorali, et nuncios destinavit ad imperatorem pro venia quærenda, et omnes absolvit ab anathemate, quos ligaverat. Contra tamen Gerebertum fit papa Desiderius, qui Victor dictus est, CLXIIus; cui paulo post mortuo successit Germanus, etiam contra imperatorem et Gerebertum, irritans statuta eorum et confirmans statuta Gregorii.

Rex Anglorum Guilielmus moritur, et successit ei Guilielmus filius ejus, dictus rex Rufus, et regnavit XIII annis. In Dacia post Suein successit Haroldus, qui leges et jura, quæ alius Haraldus statuerat, confirmavit. Huic successit Cnud, frater ejus, qui quum parasset navigium contra Angliam, frater ejus, Olaff, captans plebis benevolentiam, dedit exercitui abeundi licentiam. Unde frater ejus iratus misit eum comiti Roberto ad custodiam in Flandria. Tandem, regis exactoribus grassantibus in plebem, insurrexerunt in eum, quousque martyr factus occumberet. Olaff vero, cui successio competeret, captivato in Flandria, frater ejus Nicolaus primus post eum regnare distulit, quum inter eos ex condicto juramenti convenerat, ut major natu post alium semper regnaret. Nicolaus igitur fratrem suum Olaff promissa pecunia liberavit, factus obses pro ea. Quem quum frater liberatus nollet redimere, omni tempore vitæ suæ afflictus est uredine famis et pestilentiæ. Huic successit Henricus frater ejus, vir bonus, qui in Cypro insula confessor discessit. Et successit

ei Nicolaus, qui ingrato fratri suo beneficium liberationis præstiterat. Filius autem Nicolai Magnus occidit Magnum, filium patrui sui Ericii. Unde et alius Ericus, congressus cum Nicolao, occidit filium ejus ; et ipse postmodum in Selewic civitate a civibus occisus est. Successit igitur ei Ericus quem in placito uno Floc occidit, et ei successit alius Ericus filius sororis alii Erici. In Hispania imperatori Xanthio successit Alphonsus filius ejus, vir admirandæ virtutis, et admodum fortunatus, qui reges Hispaniarum suo subjecit imperio. Præterea, cepit Almariam, insulam præclaram Olosericis, et Cordubam, et Toledam, et multas alias præclaras civitates et regiones potenti virtute acquisivit Suo tempore Rotrolt, comes de Pertica, introivit Hispaniam, et multa virtute plures acquisivit civitates et oppida. Uude modo insigniuntur rex Navarrorum et rex Arragonensium.

Urbanus et Gerebertus moriuntur, et succedit eis Paschalis, CLXIIIIus. Eo tempore Ordo Cisterciensis incepit, qui circa primordia sua a glorioso comite, Theobaldo Bloisensi, plurimum adjutus est, et modo floret per mundum universum. Hujus comitis filii fuerunt liberalis ille comes Henricus Campaniæ, et Theobaldus, dapifer Franciæ, et Stephanus comes, et Willielmus, Remensis archiepiscopus, et plures filiæ, per quas progenies plurimum dilatata est.

In Anglia Willielmo regi Rufo mortuo, Roberto Curta-ocrea, comite Normanniæ, cui regni successio competeret, in peregrinatione Hierosolymis peregrinante, successit Henricus frater ejus junior. Quum autem in Pascha Hierosolymis ignem de cœlo more solito expectarent, accensus est divinitus cereus comitis Roberti, unde et elegerunt eum universi in regem. Ipse vero, audita morte fratris ejus, aspirans ad regnum Angliæ, contempsit donum oblationis divinæ. Unde rediens in Normanniam, congressus cum fratre suo, victus est, et mortuus in carcere suo.

Henricus, filius imperatoris Henrici, duxit uxorem Matildem, filiam regis Henrici Angliæ; et consilio Alberti, archiepiscopi Maguntini, quem pater ejus multis affecerat injuriis, patrem suum bello appetiit et vicit, et tanta afflictione contrivit, ut Leodii

demum tanquam privatus moreretur. Mortuo vero patre, sprevit eum Albertus archiepiscopus; unde, vocato papa Innocentio, ut Albertum dejiceret, et non prævaluit; et congregato concilio quod ad concilium venit Albertus cum tanta fortitudine, ut nec papa nec imperator posset statuere nisi quatenus Albertus permitteret.

Philippo regi Francorum mortuo successit Lodovicus filius ejus, qui strenuus armis regalia sua plurimum ampliavit.

Eo tempore, ultio Divina ignis sacræ occiduas partes invasit et cometes apparuit, dirigens radios versus Austrum, conjicientibus aliquibus signum fore expeditionis futuræ imperatoris versus Romam. Abiit enim ad sedandum scandalum, quod diutius obtinuerat inter Hildebrandum et successores ejus contra Gerebertum; unde ortum fuit scandalum inter imperium et sacerdotium. Privilegia enim, quæ habuerant imperatores a tempore Caroli, paulo plus quam LXIII Apostolicorum temporibus, de investituris, statuit Paschalis exinanire, dicens laica manu ecclesiasticarum rerum investituram fieri non debere. Unde et excommunicavit et investientes et investitutos manu laica. Verum postea confractus est papa, adeo ut in ecclesia Apostolorum, inter missarum solemnia, post evangelium lectum, imperatori coronato ante altare tradidit papa privilegium de investituris, ut libere per annulum et baculum daret episcopatus et abbatias et alios honores ecclesiasticos, et ut catholice acciperent ab eo potestatem ordinandi. Sed et idem confirmatum est datione corporis et sanguinis Jesu Christi, expleto Canone. Ad confirmationem pacis factum est istud die Paschæ. Et forte postea, ad iræ Divinæ ostensionem, exusta est ecclesia Sancti Michaelis, de periculo maris fulgurata. Sed Baldericus, Laudunensis episcopus, nisus revocare cives a sacramento perperam juratæ communicationis confossus est gladio, et postea succensa domus ejus, et ecclesia, et omnia ei appendentia. In hujus tamen facinoris vindictam egregie animadvertit rex Francorum. Sed etiam segetes adustæ sunt, et fames et mortalitas multa statim subsequuta est.

Paschali papæ successit Gelasius, et ei Calixtus, et post eum Honorius, et ei Innocentius. Henrico imperatori successit Lotharius, et imperavit X annis. Lothario successit Conradus, et imperavit XXIII annis. In Dacia Erico successit Cnud, electus communiter Hybergis § ubi solent reges eligi. Insurrexit autem in eum Suein, et adjutorio Waldomari cognati sui invaluit, ut Canutus transiret ad Conradum Imperatorem pro adjutorio. Obtulit igitur ei adjutorium sub conditione, ut coronam Daciæ susciperet ab eo. Ille vero renuit et rediit, et accivit Waldomarum, cognatum suum, in regnum socium; et statim communiter expulerunt Suein. Qui, conversus ad imperatorem, suscepit ab eo coronam. Veruntamen non prævaluit imperator ad ejus restitutionem. Cnud vero et Waldomarus, amatores pacis, miserti perturbationis Suein, inito fœdere pacis, admiserunt eum in tertiam partem regni. Quia vero locus, ubi fœdus firmatum est inter eos, vicinior erat ditioni Cnud, et in ea essent multæ regales deliciæ, invitavit eos Cnud, ut cum eo perendinarent, et deliciis terræ suæ fruerentur. Quum igitur tantos hospites regia magnificentia et liberali frugalitate suscepisset, et simplici et bono animo eis serviisset, nequam Suein, aspirans ad totum regnum, machinatus est quomodo hospitem suum et cognatum, principes regni, occideret. Præstructis igitur insidiis, de nocte in eos insurrexit, et in conclavi Christianissimum regem Cnud, hospitem suum et cognatum, occidit, circa quartam decimam diem post initam pacem. Waldomerus vero, graviter vulneratus, vix evasit, et confugiens ad amicos, Cnud et suos, sanato vulnere et instaurato exercitu, invasit impiissimum Suein et occidit; et solus postea regnavit, crudelis et fortis; propagator tamen bonus Fidei Christianæ. Regnum Rujanorum * et regem eorum adegit fieri Christianos, et sibi subjecit. Firmavit etiam castrum in exitu Daciæ, et ita præparavit introitum, ut nullus per terram ingredi posset

§ Hybergis] Wybourg, a town in Jutland.

* Rujanorum] The people of the island of Rugen.

Duclam nisi per se ipsum. Quod castrum obtinuit filius Canuti Waldomarus, electus de Selewich.

In Sicilia Rogerus dominatum magnum adeptus, quia patrimoniam beati Petri rapuerat, † coronam regalis benedictionis ab ecclesia Romana impetrare non potuit, quousque, imperatore fugato de prælio et capto papa Romano, adegit Ecclesiam, ut dominus papa daret ei mitram suam cum benedictione regali et compositione. Appositis igitur auro et lapidibus pretiosis de mitra fecit sibi et successoribus suis diadema. Mortuo vero Rogerio, successit ei filius ejus Willelmus, minus patre bellicosus. Unde et suo tempore perdidit Africam, et de Hispania traduxit uxorem. Ludovico regi Franciæ successit Lodovicus filius ejus pius amator religionis et justitiæ, qui traduxit uxorem Alienor filiam Willielmi comitis Pictaviæ. De qua duas filias habuit; quarum una nupsit Henrico comiti Campaniæ, interventu Sancti Bernardi abbatis Clarevallensis; et altera comiti Theobaldo Blesensi, dapifero Franciæ. Prædicante postmodum præfato abbate necessitates Terræ Jerusolymitanæ, cum grandi exercitu et multo apparatu, una cum uxore sua abiit rex Lodovicus Jerosolymam. Veruntamen, in ea expeditione parum profecit, et de exercitu suo multam sustinuit jacturam. Conradus vero imperator, volens præripere gloriam præfati regis, præcucurrit eum cum impetu infiniti exercitus Teutonicorum. Veruntа-

† BEATI PETRI RAPUERAT] This Roger, who had been crowned king of Sicily by the anti-pope Anacletus II, in 1129, took Beneventum and Capua from the Pope. The verse, already quoted by our Author,—APPULUS, ET CALABER, SICULUS, MIHI SERVIT, ET AFER,—was engraven on the sword of this redoubtable and successful warrior, intimating that to his valour and conduct he owed these provinces. He was the son (as has been observed) of the Norman adventurer, Robert Guichard, and brother of Buamund or Boemond, so renowned in the wars of Palestine. This Roger was not only a votary of Mars, but of Minerva, and Ceres; being an encourager of arts, manufactures, and agriculture, for it was he who brought into Sicily many Greek peasants for improving the soil, it was he who introduced at Palermo, and thence over all the West, the cultivation of the mulberry tree, and the art of drawing and dressing silk. BIOG. UNIVERSELLE.

men, variis infortuniis contrita est multitudo, adeo ut vix cum paucis evaderet imperator. Accidit igitur, peccatis exigentibus, ut utrique tam rex quam imperator, accepto damno, redierit inglorius, nisi quatenus merita peregrinationis et orationum eis suffragarentur. Conrado reverso et mortuo, successit Fredericus filius regis ducis Sueviæ. Qui Mediolanum obsedit et cepit, et Ast, Derthoniam, et Cremam, et demum universam Italiam perdomuit, et sibi subjecit. Veruntamen, insolentiam Teutonicorum non diu sustinuerunt Lumbardi; unde et apud eundem imperatorem, explosis oppressionibus, majorem libertatem evicerunt. Nusciam vero et Campaniam per cancellarios suos edomuit, et Romanos bello confecit. Accidit enim diebus Frederici, ut principes clerici, ejus cancellarii, prærogativam probitatis habuerunt in imperio; primo, Ramaldus Moloniensis, secundo Christianus, superintrusus Moguntinus, ‡ tertio Philippus Coloniensis, qui potentissimum ducem, Henricum Bavariæ et Saxoniæ fere ad nihilum redegit cum adjutoriis suis.

Sub hoc Frederico grave schisma fuit. Successit enim Innocentio Celestinus, et ei Lucius, et post eum Eugenius, et ei Anastasius senex, et post eum Adrianus Anglicus, et deinde Alexander eruditissimus. ¶ Contra quem surrexit Ottavianus,

---

‡ CHRISTIANUS MOGUNTINUS] He was archbishop and elector of Mayence, uniting in his own person (as was customary in Germany even to the present century) the office of priest and prince. He, on one occasion, commanded the imperial army in Italy and had the good fortune to slay with a small force 16000 Romans. This warrior prelate is reproached with taking more pleasure in handling the sword than the crosier.

¶ ALEXANDER ERUDITISSIMUS.] This was Pope Alexander III, who sat for the unusually long period of twenty-two years. It was this successor of the humble Peter, this hierarch calling himself "THE SERVANT OF THE SERVANTS of God," that forced the Emperor Barbarossa to beg his pardon at Venice, where the haughty Pontiff set his foot upon his neck, with this expression, SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS. But of this feat of unparalleled arrogance and presumption many of the Chronicles are silent, as if ashamed of what was so contrary to Christian humility and forbear-

Victor dictus. Cujus papatus defecit in quarto successore, reformata pace inter imperium et sacerdotium, Venetiis. Reversus ab Hierosolymis Lodovicus, quia regina Alienor contristaverat eum in peregrinatione sua simulata fuga, divertit ab ea, jurata parentela, || et traduxit Alesiam, filiam Ildefonsi imperatoris Hispaniæ. Hic enim Ildefonsus, ante mortem suam, quia tenere diligeret duos filios suos, divisit eis imperium, et Sancio majori tradidit Castellæ et Toletæ regnum, Fernando minori Galliciæ regnum; et Alesiæ assignavit infantaticam portionem terræ, quæ solet esse imperatricum. De Alesia Lodovicus duas filias habuit, Margaretam et Alesiam.

Henrico regi Angliæ successit Stephanus, nepos ejus, miles strenuus, sed minus pius, comes Boloniæ super mare. Insurrexerunt vero in eum Gaufredus comes Andegaviæ cum uxore sua Matilde, quondam imperatrice, et contenderunt de regno XVII annis; demum vero facta pace, adoptato Henrico filio Matildis successore, qui eo mortuo successit, et traduxit uxorem Alianor, relictam Lodovici regis Franciæ. Habuit igitur ex ea quatuor filios et tres filias; Henricum, quem fecit regem Angliæ, virum gratiosissimum suo tempore, et Ricardum comitem Pictaviæ, et Gaufridum comitem Britanniæ, et Johannem, quem destinavit facere regem Hiberniæ, quam vi tulerat a quodam fideli suo Ricardo comite de Strigueil, qui eam legitime armis acquisierat, et ex successione uxoris suæ. Iste Henricus infestus fuit Ecclesiæ inductis novis pravis consuetudinibus, et veteribus exasperatis. Quibus confirmandis quum resisteret beatus Thomas archiepiscopus Cantuariæ, inductus est primo consentire; sed satim acta prævia apposuit contradicere. Unde cum necessariis et familiaribus suis coactus est exulare in Franciam, ubi

---

ance. For Brompton the Chronicler says, the emperor paid him all honour and obedience, and merely held the Pope's staff as he mounted his palfrey.

|| JURATA PARENTELA] on the plea of consanguinity. Mezeral tells us that the marriage was annulled by a council held at Baugency.

a piissimo Lodovico exceptus est et exhibitus cum omni humanitate. Demum vero, adepta pacis similitudine, interemptus est a cubiculariis prædicti regis in ecclesia Cantuariensi ante altare.

Mortua Alesia regina Francorum, Ludovicus tertiam duxit uxorem Alicam, filiam comitis Theobaldi. De qua habuit filium nomine Philippum, et filiam quam Emanuel imperator Constatinopolitanus filius Alexis imperatoris, filio suo traduxit in uxorem. Rex Angliæ, sub quo passus est beatus Thomas, traduxit duas filias regis Franciæ duobus filiis suis, Margaretam Henrico regi Angliæ, et Alesiam destinatam Ricardo comiti Pictaviæ. Præmortuus vero est rex Henricus, offenso ei patre, vitam finiens in Martello, castro Limoviæ, sub testimonio sanctorum virorum, in sancta devotione. Lodovicus vero, correptus pedum infirmitate, omnes pravas consuetudines inductas suo tempore abjurari fecit, et thesauros suos in ecclesias et pauperes magna liberalitate distribuit. Martyrio igitur longæ infirmitatis decoctus, in sanctitate decessit. Successit igitur ei Philippus, qui adversus primarios sui cœpit potenter agere. Fecit etiam omnes vicos Parisiensis civitatis sternere silice, et Margaretam, sororem suam, reginam transmisit nuptui Belæ, glorioso regi Hungariæ.

In Hispania Sanchio successit filius suus Aldefonsus, qui traduxit filiam regis Angliæ. In Dacia Waldemaro filius ejus, Cnud, habens filiam ducis Saxoniæ. In Sicilia Willielmo successit filius ejus Willielmus, qui duxit filiam regis Angliæ, et nuptui tradidit amitam suam, filiam regis Rogeri, Constantiam, regi Alemannorum, filio Frederici imperatoris.

Romæ post Alexandrum sedit Lucius et post eum Urbanus, eloquens et tumidus. Quo mortuo, sedit ad exequias ejus mulier, jussu dæmonum, ut dictum est, præstolans excipere viaticum

---

§ URBANUS] This was Pope Urban III, who it is said died of grief on hearing that Saladin had captured Jerusalem, in 1187. Quumque URBANUS qui Lucio successerat tam flebilem casum de terra Hierosolymitana audisset nimio obiit præ dolore. CHRON. JOHANNIS BROMPTON.

corporis Domini de ore ejus, quia illud in Assumptione nondum transmiserat.

Diebus hujus captus est in prælio Wido, * rex Hierosolymorum, et lignum Sanctæ Crucis a Saladino principe Damasci. Occisus est etiam beatus Reinaldus, princeps Antiochiæ, protestans se non redditurum Sarracenis vestigium unius pedis Sanctæ Terræ pro redemptione vitæ suæ. Occisi sunt et alii multi, capti plures, et evaserunt nonnulli. Capta est postmodum fere tota Judæa et maritima omnia præpter Tyrum, quæ præsidio Conradi marchionis Montis Ferrati servata est in refugium Christianis; sicut Antiochia præsidio principis sui et adjutorio Hervei de Danzi. Audito igitur tali damno in occiduis partibus, et principes et privati plurimi Crucem accipere proposuerunt. † Imperator enim Fredericus, habito colloquio cum Philippo rege Franciæ, condixerunt Crucem accipere, si ad idem propositum rex Anglorum posset induci. Idem tamen rex Anglorum, ante mortem beati Thomæ martyris, ad Crucem capiendam solemni voto et fide data, aliquoties in manu piissimi regis Franciæ Lodovici se firmiter obligaverat; post mortem vero beati martyris et propter eam, quod voverat pluries, juravit adimplere. Sed intercedente pecunia apud dominum papam et vota et juramenta illuserat.

Mortuo vero Urbano misere, sedit papa Gregorius septimus, qui nulla pecunia corrumpi potuit, ne præfatus rex vel Crucem acciperet vel ab universa Ecclesia excommunicaretur. Is enim functus legatione pro morte beati Thomæ, adegerat eum jurare de peregriuatione. Habito igitur colloquio cum rege Franciæ de damno Palestinæ, callide a Francis et a suis inductus est Crucem

---

* WIDO REX] GUY, or GUIDO, of Lusignan, in 1184. Having been expelled from the Holy Land, he sold his empty title of King of Jerusalem to Richard I, for the Kingdom of Cyprus.

† CRUCEM ACCIPERE PROPOSUERUNT] This was the third crusade in 1188, or 1189, under the auspices of Richard CŒUR DE Lion, Philip Augustus of France, and the Emperor Frederic Barbarossa. The last of these monarchs, having conquered Cilicia, was accidentally killed by a fall from his horse in crossing the river Cydnus.

accipere cum rege Franciæ. Præerat autem comes Ricardus Pictaviæ omnes in accipienda Cruce; sed Diabolo instigante ortum est, sicut prius, grave dissidium inter eum et patrem suum, ea occasione quod Johannem minorem fratrem suum sublimare voluit in regnum, eo præterito, cui de jure debebatur. Nacto igitur adjutorio regis Franciæ, cepit Cenomannum, fugato patre, et Turonem, patrem ipsum intercepturus, ut dicebatur, nisi citius ad voluntatem regis Franciæ compromisisset. Confluebant enim omnes potentes terræ ad comitem Ricardum, dum prosperaretur, et ipse etiam Johannes, relicto patre, qui pro eo laboraret, collusit cum fratre suo. Quo audito, pater, infirmitate correptus, præ ira et dolore (ut dicitur) mortuus est. Et successit comes Ricardus in regno. Exivit et de custodia, in qua diutius emarcuerat, nobilis regina Alianor, dicta *aquila rupti fœderis*, et cucurrit in viis secundi mariti sui, qui maxime novissimis diebus suis veritatem et pudicitiam pariter [excolebat]. In his diebus elanguerat plurimum status Ecclesiæ a papatu Alexandri quarti, deterius usque in tempora nostra assidue, sicut plures narrant historiæ. Fredericus enim, imperator Romanus, qui tempore Alexandri papæ, decem et septem annis gravi schismate diviserat Ecclesiam, tempore Urbani papæ obsedit eam, eo quod non concederetur ei privilegium, ut in omni electione episcopi vel abbatis discordante, ipse ad arbitrium suum eligeret abbatem vel episcopum. Turbavit igitur tempore suo Ecclesiam, donec assumpta peregrinatione tendens Hierosolymam, substitit apud Constantinopolim, occupans Romaniam et obsidens prædictam civitatem, quia peregrinationis suæ non invenisset liberam viam. Sed et eodem tempore ille rex, sub quo passus est beatus Thomas martyr Anglorum, pecunia sua captaverat curiam Romanam, adeo ut in ecclesias suæ potestatis nihil fieret nisi quod ipse dictaret vel quod innueret. In quo confirmatus est ei fere universus Clerus terræ suæ. Quod si aliquid occurreret quod erubesceret, aut non posset idonee facere, accito legato ad suum arbitrium, per Apostolicam demum auctoritatem, implebat suam voluntatem. Unde etiam per hujusmodi legationis officium, in

Grandi monte vellet laicis clericatum ejus ordinis subjicere. Confugerunt omnes fere clerici ad gloriosum Philippum regem Franciæ, qui eos suscepit benigne et honorifice, et pro eorum optione commendavit ad tempus per abbatias in Cisterciensi Ordine.

Eodem tempore declinavit etiam monastica religio, quum præcipuæ columnæ ejus duæ, videlicet Cisterciensis abbas et Cluniacensis, qui prius ab ecclesiarum suarum fundatione semper sanctitate et magnificentia aspernarentur episcopatus recipere; nova cupiditate præamantes *meum* quam *nostrum*, facti sunt episcopi, Cisterciensis Atrebatum et Cluniacensis Ostiensis Cardinalis episcopus, nomenque similiter et gratiam perdiderunt, respectu favoris quem prius habuerant. Sed et communis status tam virorum quam mulierum in desideria suæ carnis evanuit. Auctus est enim luxus vestium in immensum; aggravatum onus armorum, et expensa militaris sumptuosior. Gastrimargia multiplicata diversitate ciborum et potuum et salsamentorum, et omnium irritamentorum gulæ varietate distentæ. Liberalium etiam studiorum exercitia evanuerunt occasione ambitiosi quæstus, ob quem curritur ad leges seculi et decreta et physicam. Divina quoque pagina neglecta. Excæcavit oculus principum fumus luxuriæ, ut in masculos magis quam in sexum fœmininum libido despumaret. Nec minus ardor mulierum in sexu suo degeneraverat. Fuerunt enim prioribus diebus summæ sacerdotes in sacris Priapi in Occidente . . . . . * quæ multa liberalitate famæ suæ damnum frustra redimere conatæ sunt. Similiter et in aliis regnis aliæ servierunt Deo tentiginis in utriusque sexus abusione.

His igitur malis ingruentibus, multa inciderunt difficilia et crudelia et periculosa, ut discordiæ regnorum, strages populorum, hæreses impiorum numerosæ, et schismata perversorum hominum.

His diebus, JOACHIM quidam monachus Cisterciensis, a fere

* There is here a hiatus in the MS.

illiterato subito factus intelligens, scripsit *super Apocalypsim*, et *Apertiones Sigillorum* per præteritas persequutiones distinguens, quodammodo Novum Testamentum Veteri Testamento comparavit, et diem Judicii proxime futuram asseveravit, quia ultimi sigilli apertio, in quo Antichristus venturus erat, e limine jam immineret.

GALFRIDUS quoque Altisiodorensis, quondam abbas Clarevallensis, *super Apocalypsim* commentatus est, ut visum est, discretius. Alii quoque scripserunt compilationes varias. RADULFUS NIGER scripsit *Septem Digesta super Heptaticum*. Scripsit et *Moralia Regum*, et *Epitome Veteris Testamenti*, in *Paralipomenon*, et *Remediarium in Esdram*. Scripsit etiam Librum *de Re Militari* et *Tribus viis Peregrinationis Hierosolymitanæ*, et Librum *De Quatuor Festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis*, et Librum *De Interpretationibus Hebræorum Nominum*. SCRIPSIT ET HÆC CHRONICA.

Post Urbanum sedit Gregorius, et post eum Clemens Tertius, et post eum Celestinus tertius, qui coronavit Henricum filium Frederici imperatoris, imperatorem Romanum, accepta Tusculano et in vigilia Paschæ statim reddita Romanis ad destruendum, ut dicebatur, ex pacto Clementis; subsannantibus omnibus bonis viris, quod asylum Ecclesiæ Romanæ destrueretur.

Inter Occiduos principes, qui, gratia Palæstinæ liberandæ a paganis, Crucem acceperunt, Fredericus imperator Romanus, felicibus auspiciis primus tunc arripuit, quod tamen duro fine complevit. Quum enim alii Principes a subjectis suis decimas rerum mobilium et se moventium extorsissent, ille de singulis domibus ditionis suæ unum denarium sumere contentus fuit, ut eo pretio fierent participes suæ peregrinationis. Veniens igitur in Romaniam, quia Imperator Constantinopolitanus fœdus inierat cum Saladino, principe Damasci, et Turcos Mauripulos cum ritu spurcitiæ cultus sui admiserat in suam civitatem, indixit ei bellum. Quæsita igitur magna parte Romaniæ, demum obsedit Constantinopolim, et adegit imperatorem illum ad pacem faciendum secum, quam ipse dictasset. Omissa vero causa Dei de expurganda

civitate a spurcitiis Gentilibus, accepto multo auro, progressus est cœpto itinere. Venit ergo Iconium, et expugnata civitate, cepit Solitanum et unum filiorum ejus. Reliquum autem filium Solitani, qui patrem suum captivaverat et regnum obtinebat, duobus prœliis confecit et expulit de terra. Facta igitur demum pace cum Solitano, accepto multo auro et viatico, omissa tamen causa Dei de Fide propaganda et conversione populi, progredi cœpit versus Antiochiam. Veniens igitur inter montana ad amnem rapidum, consedit super ripam ejus ad prandium, dum exercitus transiret. Crebrescente igitur fama in Oriente de confecto Imperatore Constantinopolitano et captivato Solitano, et expugnato et fugato filio ejus, miserant omnes orientales legatos et nuncios ad invictissimum imperatorem, pro pace sibi comparanda. Gloriosus igitur imperator, et elatus de nunciorum frequentia et magnificentia, diu consedit ad prandium, donec totus exercitus transisset. Quum igitur suaderetur ei ut equo transiret quoniam amnis creverat resolutis nivibus montium, ille imperator, æstuans sumpto cibo et potu, et æstivo calore urente, præ-elegit nando transire. Quum igitur balneando attigisset ulteriorem ripam, avulsit eum a ripa torrentis impetus, et illisit eum scopulis, quousque expiraret. Extracto itaque mortuo imperatore ab aquis, conturbatus est omnis exercitus, et e vicino defecerunt victualia, ut tum fame tum infirmitate deficeret; et vix sexagesimus homo de exercitu veniret in Palestinam, cum duce Sueviæ, filio præfati imperatoris, qui et mortuus est apud obsidionem Acaron.

His diebus Alienor, *aquila rupti* † *fœderis*, duxit Berengariam, filiam regis Navarræ, in Siciliam usque Messanam, nuptui filio suo Ricardo, regi Angliæ, rupto fœdere quod pactum fuerat cum Alesia, sorore Philippi regis Franciæ. Prœierant enim eo tempore rex Philippus Januam, et rex Richardus Massiliam, ab his portibus navigaturi versus Palæstinam. Navigavit igitur rex Ricardus Messanam, ut ibi hyemando præstolaretur futuram uxorem suam. Rex autem Philippus, introgressus mare, actus

† See the prophesy of Merlin for this legend.

tempestate, accepto gravi damno de hominibus et rebus suis, applicuit Messanam, maxime quia regis Ricardi noluit deserere comitivam.

Grassantibus autem civibus Messanæ in exercitum regis Ricardi, forte fiducia regis Francorum hospitis sui, iratus rex irrupit civitatem, et facta magna strage populi, obtinuit eam firmato castro super eam, quod *Matigrifon* appellatum est. Factus est igitur multo timori Tancredo regi Siciliæ, ut præter dotem sororis multam ab eo excuteret pecuniam. Subeunte autem vere, navigavit rex Philippus, et applicuit in Palæstinam, veniens ad obsidionem Acaron. Rex autem Ricardus, accepta conjuge sua et remissa matre sua in terram suam, navigavit, et veniens Cyprum, expugnata insula et captivato rege cum unica filia ejus, venit ad obsidionem Acaron, dives et potens ex multa præda. Capta Acaron deditione facta, metu infirmitatis rediit rex Franciæ in terram suam, relicta magna parte exercitus sui regi Ricardo, qui Saladinum duobus prœliis confecit, et cepit maritima et Ascalon. Fecit etiam occidi fere omnes, qui comprehensi erant in deditione Acaron, quia Saladinus non steterat pacto eorum, quod fecerant cum regibus.

Henricus Imperator, statim a coronatione sua, cum uxore sua introivit Apuliam, et prosperatus circa principia sua, acquisita Capua, et Salerno, et plerisque aliis locis munitissimis; rebellante vero Neapoli, transmissa uxore sua Salernum, obsedit eam, ubi pestilentia infirmitatum ingruentium majores principes suos amisit. Ipse quoque, amissa conjuge sua et capta a Tancredo proditione Salernitanorum, graviter infirmatus, vix evasit, cum aliqua parte sui exercitus in terram suam inglorius. Reversus igitur in terram suam, sequenti æstate iterum misit exercitum in Apuliam, ipse futura hyeme sequuturus eum.

De regibus Anglorum: seriem eorum a primo rege Lucio Christiano non posui, quoniam historiam Anglorum ad manum non habui; et prolixitatem vitavi. Seriem tamen regum, postmodum inventam, non a Lucio, sed ab Ine, qui primus totius Angliæ rex fuit, posui. Iste Ina regnavit XXXVII annis. Post eum

Athelardus rex, XIIII annis. Huthredus, XII annis. Sigebertus, X annis. Kynewulf, XXX annis. Brithricus, XVI annis. Agbertus, XXV annis, et sex mensibus. Hadewulf, XVIII annis. Eadbaldus, filius ejus, uno anno. Athelbertus frater ejus, VI annis. Atheldredus frater ejus, V annis. Alfredus frater eorum, XXX annis. Hic fuit ille rex sapiens, qui primus omnium regum totius Britanniæ diadema suscepit a beato Leone papa. Hic vero sepultus est in Venta civitate. Edwardus filius ejus regnavit XXIII annis. Adelstanus filius ejus, XIIII annis et VII hebdomadis et tribus diebus. Eadmundus frater ejus VII annis et VI mensibus. Eadwinus filius Eadmundi III annis et XXXVII hebdomadis. Hadgarus frater ejus, XVI annis et VIII hebdomadis. Eadwardus filius ejus et martyr effectus, III annis et VIII mensibus. Athelredus frater ejus, XXXVIII annis. Eadmundus filius ejus I anno. Cnuto, XIII annis; sed nunquam fuit coronatus. Haraldus filius ejus, uno anno. Hardecnuto frater ejus II annis. Eadwardus frater ejus, qui jacet Londini, XXIII annis. Haraldus, XL hebdomadas. Willelmus Bastard, comes Normanniæ, XXI annis, V hebdomadis minus. Willelmus filius ejus, XIII annis et VI hebdomadis. Henricus frater ejus, XXXV annis et XVI hebdomadis et V diebus. Stephanus, intervallo facto trium hebdomadarum, regnavit XIX annis et parum plus. Henricus, nepos Henrici, XXXIII annis et VI mensibus et III hebdomadis, adoptatus in successorem a rege Stephano, cui tamen debebatur regnum jure hæreditario. Cui, sicut prius dictum est, successit Ricardus filius ejus, comes Pictaviæ. Post reditum Philippi regis de Palæstina in Franciam, Ricardo rege viriliter agente contra Saladinum, cum suis et Francis, quos ibi rex Philippus loco suo dimiserat, orta est quæstio de rege faciendo, Francis eligentibus Marchionem Montis-Ferrati, Ricardo primum renitente, postmodum tamen consensum adhibente, quia traduxerat hæredem regni uxorem, ereptam ab Hemfredo de Turrum, qui eam habuit conjugem. E vicino vero postea a quocunque procuratum est, ut idem Marchio ab Assacinis interemptus esset in urbe Tyro. Mortui

quoque sunt innumeri et in obsidione Acaron, et post ejus captivitatem plurimi, ut Philippus comes Flandriæ et dux Burgundiæ et alii plures nobiles ad liberandam captivitatem Palæstinæ. Sed et viri religiosi, qui venerant ad succurrendum Sanctæ Terræ, mortui fuerunt, et ante obsidionem Acaron, et postea; veluti vir religiosissimus Tyranus archiepiscopus; et vir literatus Girardus Ravennas archiepiscopus et Cisterciensis monachus; Cantuariensis archiepiscopus Baldewinus, sed et alii plures episcopi et abbates, et alii viri religiosi interierunt; et alii in propria redierunt, veluti Hubertus Salesburiensis episcopus, in obsidione Acaron viriliter et egregie, et post obsidionem laudabiliter egit, et reversus in patriam, archiepiscopus Cantuariensis effectus, et ecclesiam et regnum pariter bene gubernavit. Parum tamen literatus fuit et minus acer in operibus justitiæ.

Defuncto marchisio Montis Ferrati, uxor enixa demum postumo, illustri juveni comiti Henrico Campaniæ, rege Ricardo Anglorum et Francis destinaverunt hæredem regni. Rex igitur Ricardus, compositis maritimis et aliis finibus regni Palestinæ, pacem fecit cum Saladino, aliquot annorum induciis firmatis, et repatriare disposuit. Ratus enim rex Philippus elementa irarum, quas in Messana et Acaron, et maxime rupti fœderis peregrinationis [causa] incidisse doluit, [jam sedari, Richardum per literas edocuit ejus reditum cupere.] * Et ideo rex Ricardus, ne longa peregrinatione, in præjudicium juris sui, turbaretur, navigavit. Declinata igitur Cypro, quod non omnino potuit quod voluit, vel ex proposito, vel actus tempestate, in Istriam applicuit: Quisquis autem in potentatu paucos amicos habere curavit, facile, plerumque facilius, inimicos invenit.

Ricardus sibi, ab Istria paucis comitantibus evadens, invenit inimicos. Qui tamen ex proposito [per] multa terrarum interstieia in patriam suam redire proposuit. Sed a tanto principe celari non potuit: ab Istria igitur ab hostibus eum insequentibus

* The words in brackets are supplied by conjecture as necessary to complete the sense.

paulatim ejus fama personuit; usque in Austriam super Danubium.

Fuerat autem dux Austriæ potens et dives, qui olim in obsidione Acaron, urbe capta, jure belli palatium quoddam occupavit. Quia tamen potentior factus est rex Anglorum, minus laudabiliter egit. Dux igitur, suspicatus regem in terra sua transiturum, scrutatus est eum, et invenit, et occidere voluit, nisi principum suorum præsidio modicum sedatus, contrusit eum in captivitatem. Famæ igitur indicio vel etiam ipso duce vulgante, innotuit imperatori Henrico interceptum regem, cui variis ex causis infestus erat. Imperator igitur veteribus inimicitiis, quasi novo odio formato, hostem publicum imperii regem pronunciavit, et regi Franciæ significavit, qui et veteri et inexorabili odio, variis ex causis et in occulto et in publico inimicissimus fuit.

Quia vero imperator de jure suo quem vellet captivatum quemcunque in imperio requisitus recipere deberet, et maxime hostem publicum, parta tamen latenter multa pecunia et obsidibus datis, dux Austriæ deinde regem imperatori tradidit. Quum igitur rex Francorum audiret quod apud imperatorem rex Angliæ teneretur, missis nuntiis supplicavit quatenus regem, hominem suum, sibi restitueret. Multa deinde licitata est pecunia; quatenus accepta pecunia imperatori, rex Angliæ Philippo regi traderetur, ut duriori causa restitutus ureretur. Intervenit enim imperatoris clementia, quatenus parta pecunia, et datis demum obsidibus et conventionibus aliis, refusa aliqua ex parte pecunia rex demum liberaretur. Philippus igitur rex Francorum nullo pacto imperatoris obtinere potuit regem Angliæ, qui tamen nondum soluta pecunia in captivitate teneretur.

Veteri igitur et inexorabili odio instigatus rex Philippus, nulla crucis aut fidei religione detentus, fines regionum Ricardi invasit, et marchias terrarum earum pluribus in locis confecit, donec a fidelibus quibusdam Ricardi regis nacta quadam conditione induciarum datis castellis quæ elegit, interim Philippus rex quievit. Pacta igitur redemtione Ricardi regis apud imperatorem Henri-

cum, infinita liberalitate Anglorum et transmaritanorum fidelium ejus multam pecuniam ad redemtionem collegerunt. Soluta igitur pecunia sicut convenit ex parte omni conditione quam imperatori impleta, de reliqua pecunia obsidibus datis, non simul tamen sine difficultate, demum tamen in Angliam, et postea brevi spatio transivit in Normanniam. Nulla igitur demum inter reges inventa pace, hinc inde diutius dimicatum est. Demum vero intervenientibus religiosis viris et principibus taxato tempore inducias firmaverunt quatenus deinde quieverunt; firmata pace, et hoc multis intervenientibus elaboratum est. Circa ea tempora Tancredus rex Siciliæ, et duo filii ejus mortui sunt, substituto tamen puero in regem destinato. Imperator vero Henricus uxorem suam Constantiam filiam regis Rogeri Siciliæ præmisit in Apuliam, et multis in locis hæreditario jure obtinuit. E vicino tamen sequutus est imperator dives auro et argento a captione Ricardi regis Angliæ qui de peregrinatione redierat, copiosamque pecuniam acceptam, brevi transitu Apuliam et Calabriam et Siciliam obtinuit. Saladinus vero dominus Damasci et princeps Syriæ, et Solitanus Babyloniæ et rex terrarum Ægypti, et primus regum terræ, subjugata Hierosolyma, et fere tota Palestina et multa Saracenorum regna; ineffabilis gloriæ et inauditos triumphos elevatus, ad religionem Mahumetis convolavit, et prius quam ad Mech rediit, expiravit. Filii autem illius ad invicem conturbati sunt, adeo ut ad eorum conturbationem Christiana religio multa ex pace conquievit. Domini igitur est terra et plenitudo ejus, et Saraceni et Christiani pariter fidei in iniquitatem pro merito contulerunt, ut et mari et terra iniquitas hominum prematur.

Circa igitur hæc tempora Danubius subito irrupit et multos fines terrarum extinxit, homines et jumenta et alia terrarum volatilia. Redeunte demum Danubio in alveum suum exierunt de terra culices, et vastaverunt agros et vineas et arbusta, et depopulaverunt universam trram. Irruperunt igitur porci et aliquæ aliæ bestiæ, et irruerunt in culices devorantes eas, et ingrassati sunt vehementer, et multi mortui sunt. Sagenati vero porci, mor-

tui et occisi: homines edentes cibum, passim mortui sunt. Dux autem Austriæ sequente die nativitatis, ascenso equo, accurrens ad ludum populi contrusus est equo, et illisus est graviter, fracta tibia sua, et irruente majori malo, crus totum fecit abscidere, et tertia die mortuus est. Fuerunt autem in obsides Ricardi regis quos archiepiscopus Sanctiburgiensis multa instantia et probitate liberavit.

RADULFI NIGRI

CHRONICON SECUNDUM,

A CHRISTO NATO AD REGNUM HENRICI SECUNDI REGIS ANGLIÆ.

INCIPIT PRÆFATIO MAGISTRI RADULPHI NIGRI.

Etsi succensere sibi neminem conveniat, siquid in hoc opusculo parum composite, aut minus eleganter ingestum fuerit, quum nec Areopago sim genitus aut educatus in Latio, non tamen ut aulæ nugator malim culpam deprecari quam ea carere. Veniam enim petere, ut ex venustate reprehensionis a Marco Catone in Aulum Albinum qui cum Lucio Lucullo consul fuit profectæ liquet, imprudentis est aut compulsi. Nec me quis in commissum pepulit, vel deprecationis molestiam. Sit igitur nobis tota antiquitatis supellex memorabilis et digna memoriæ scribendi materia. Intentio litem scriptorum ingenitam multis absolutam amfractibus referre ad consensum, in unius saporis usum varia libamenta confundens et indigeste non in acervum congerere sed confusam disparilitatem atque promiscuam, prout se enarranda quæque vel transferenda suggesserint, ad subsidium vacillantis memoriæ in unum corpus digerere, ut quod diversa lectione quæsivimus stylo digerente in ordinem coalescat, unde unum fiat ex omnibus, sicut unus numerus fit ex singulis, unus concentus ex dissonis innumeris. Ad hoc quidem me apium invitat innocens prudentia, hepatis incitat innata potentia, movet et promovet chori consonantia. Conspirata igitur ætatum in unum exempla

quæ sint aut voluptati legere aut cultui legisse, aut usui meminisse: estimationi paucitatis coturnare porricio, ne rara nobilitas a grege tumultuosiere turbetur, sed quod videtur absonum in unam soni concordiam salva innocentia redigatur. Et in his quidem nihil antiquius in silvæ congeriem demitto, nihil prudentibus in saturnalia seriata ex multis cespitibus elicita propino. Hæc cum dryadibus ruralia nobis ocia, hæc inter algas mellita bellaria, * hæc inter amfractus grata symposia, quæ ex cæcis ignorantiæ abducta et edecumata latibulis, multisque deducta sudoribus, ea propter explicui, ut moriens superstiti memoriale deponam. Ex quo quasi de quodam litterarum penu, si dicti factive memorabilis reminiscendi usus evenerit, facilis cujus inventu sit atque depromtu. Facessat igitur procul a lumine efferata livoris mordicitas, procedat in propatulum benignior censuræ severitas, invigilet excubiis moderatrix directa veritas, opusque concludat modeste coacta brevitas, ne haustum meri excedens ut Bithias superflua ejus effusione se proluat.

EXPLICIT PRÆFATIO.

DE PRIMA PARTICULA HUJUS CHRONICÆ.

Ab Adam usque ad diluvium sunt anni duo millia, CCti XLII, secundum LXX interpretes, secundum Hieronymum non plene II millia, verum, secundum Methodium cui Dominus in carcere oranti revelavit de statu primæ ætatis, fuerunt II millia. Sed hic Methodius martyr ætatem mundi per chiliades distinxit. Luxit autem Adam Abel filium suum a Chain occisum, centum annis secundum Methodium et secundum Strabum in valle lacrimarum juxta Hebron, vovens se castitatem perpetuam observaturum, sed Domino per angelum præcipiente, iterum cognovit uxorem suam et genuit Seth. Omnes anni Mathusalæ fuere nongenti LXIX. Hic est quæstio Græcorum et Hebræorum: Mathusale,

* At the bottom of page 1 of this chronicle in MS. Vespas. D, 10, are the words: LABERIUS—Bellaria si mellita sunt mellita non sunt. Dulcibus enim cum pepsi societas infida.

ut autumant Hebræi, pependit extra archam Noæ. Secundum LXX interpretes XIV annis supervixit; secundum alios octo annis ante diluvium obiit, secundum Jeronimum eodem anno. Hic præjudicant Græcorum volumina libris Hebraicis: emendatoria enim sunt. Gamaliel enim legis doctor et Pauli didascalus puncta transmutando omnia corrupit, quum per puncta Hebraica discernatur scriptura. Iste fecit grammaticam eorum. Sub Lamech fuere gigantes, et feminæ viris et feminabus abutentes secundum Methodium. Vivente Noe ex tribus filiis ei orti sunt secundum Philonem XXIV exceptis mulieribus et parvulis.

A diluvio usque ad annum nativitatis Isaac primum sunt anni MXLII. Colliguntur autem ab initio mundi IIIMCCLXXXIV anni. Tertia ætas ab hoc tempore inchoans duravit annis DCCC et XI usque ad David. Anno regni Salomonis quarto, qui est ab eductione Israel de Ægypto CCCCLXXX, ab initio autem IIIIMX CLVXIII, templum ædificatur. Regnatum est apud Hebræos secundum Jose DXIV annis, mensibus VI, diebus X, secundum Regum non plene D. Ab exitu de Ægypto usque ad captivitatem Babylonicam fuere anni 1072, inde usque ad Christum 589.

AB INITIO MUNDI FLUXERANT ANNI VMCXCVIII, SECUNDUM COMPUTATIONEM MAGISTRI RADULPHI NIGRI QUI HANC CHRONICAM COMPOSUIT.

Jesus Christus filius Dei in Bethleem Judæ nascitur anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, hebdomada juxta Danielis prophetiam sexagesima sexta; Olympiade autem centesima XC tertia.

Anno regni Herodis XXXo, ab urbe condita DCCLIIo, a templi consummatione DCCCCo XLVIIo, ab eversione Jerusalem DLXXXo nono, sexta ætate mundi hoc anno incipiente. A principio mundi usque ad hunc annum computantur per libros chronicos VMC et nonaginta VIII anni, secundum quorundam supputationem; juxta vero computationem septuaginta interpretum inveniuntur VMCCCXXX anni; juxta Orosium, Jeronymum, Prosperum, et Paulum, VMCXC novem; juxta

Isidorum Etymologiarum VMCCX; juxta computationem Bedæ de temporibus, qui secundum Hebraicam veritatem computavit, fuerunt anni IVMLII. Loquutus est agnus in Ægypto dicens, "Hodie Salvator natus est," et fons olei Romæ tota die manavit. In Britannia regnavit Kimbelinus tempore incarnationis Dominicæ. Cicero in forimano suo occiditur ab Herennio et Pompilio. Ciceronis caput præ rostris positum est, et imago Pompilii juxta coronata. Ovidius sacerdos Apollinis in Pelignis nascitur anno Augustalis imperii primo: et edixit Cæsar ne eum quis dominum appellaret. Hoc tempore reperta sunt secreta Aristotelis Athenis, in quibus Virgilius artem notariam reperit quæ post combussit secundum Val. Sallustius obiit: Virgilius obiit Brundusio, sed ossa translata sunt Neapolim, quæ dicta est Parthenope. Varrus et Tucca Æneadem emendant. Horatius obiit. Lugdunum Galliæ a Muciano discipulo Ciceronis ædificatur. Quirino facto præside Judææ, fit totius orbis descriptio. Pollio obiit, qui dixit de Augusto, "Non est facile in eum scribere qui potest proscribere." Romæ templum pacis corruit. Defuncto Herode, Archelaus filius ejus fit Diarcha Judææ annis IX, et in omni templo Ægypti cecidit dolum juxta Jeronymum. Tunc revertitur Joseph nutricius Domini ab Ægypto VII annis in ea emensis.

Augustus bis ovans Romam est ingressus, gloriatus se urbem marmoream linquere quam latericiam suscepit. Vicit Dalmatios, Noricos, Mœsos, Befiranos, Dacas, Thracas, Sarmatas, Illyriam, Pannoniam, Sicambros, Astures. Liberalibus artibus operam dabat; rarus ad accipiendos amicos, constans ad retinendos; mitis, gratus, civilis animi et limpidi, pulcher, facetus in jocis ut devectio Julia Greuclo. Galba. culcitra cena. De Ajace congiario asse capio podagra.* In Macrobio seriem reperies: convivabatur crebro sed raro satellite. Obiit apud Nolam Campaniæ, cibi et vini abstinens, libidini deditus. Severissimus ultor adulterii teste nono libro codicis. Sepultus est Romæ in Campo Martio.

* I must leave the interpretation of these obscure passages to better classical scholars than myself.

Sub Octaviano XI olympiades fuere. Vettius quum monumentum principis araret, ait Augustus "Hoc est vere monumentum principis cole."

Augustus superveniens filiæ canos depilanti ait, "Utrum malles cana an calva fieri?" Respondenti, "Cana," at pater, "Quare ergo te decalvasti?"

Augustus invitatus a quodam et parcissime cœnatus, ait "Nesciebam me adeo tibi fuisse amicum."

VMCCti XII. AUGUSTUS OCTAVIANUS IMPERAVIT ANNIS LIII.

Hic extitit nepos Julii Cæsaris. Ab Octaviano Augusto omnes posteri usque in hodiernum diem dicti sunt Augusti, sicut a Julio Cæsare Cæsares. Post Augustum imperavit Tiberius ejus promogenitus et Liviæ filius, qui primo modestus fuit, et cuidam querenti de ejus modestia, ait, "Boni pastoris est pecus tondere non deglobire." Raro aut nunquam præsides a præsidatu amovit, inducens exemplum muscarum. Anno ejus XV post Johannem Jesus cœlum terris annuntiat, passus in cruce anno ejus XVIII qui est annus ab initio mundi VMCCXXIX, ab Egyptiæ servitute MDXLI. Pilato de dogmate Christianorum referente, Tiberius accusatoribus eorum mortem comminatus est, quum non posset a senatu et Sejano præfecto impetrare ut Christus pro Deo haberetur: exierat edictum a senatu, ne quis absque conniventia senatus pro Deo coleretur. Dicebant enim Christum superbum esse Deum, quum aliorum deorum consortia non pateretur: unde Tiberius ipsum præfectum, et multos senatorum et XX patricios interfecit et relegavit. Filios quoque Germanici fratris, de quo loquitur Ovidius, duos interfecit.

[Tiberius erat importabilis in ira, irrevocabilis ad quicquid perpetrandum cupiditas impulsit, et sine ratione quoque omnibus quæ facienda decernebat, asper agrestisque constabat. Ob hoc Romani audientes Tiberii mortem hilares agere cœperunt, prospero lætificati nuntio.]

In hora Dominiæ passionis factus est solis defectus quem Thales prædixit qui per tres horas duravit, qui tamen non fuit eclipsis,

quum eclipsis in lunæ ascensione fiat, passio vero fuerit in plenilunio, scilicet in Pascha. Ortæ sunt hæreses Nicolaitarum et Simonachorum. Nicolaus promittebat conjugia invicem permutari. Jerusolymæ more paterno primus episcopus Jacobus Alphæi factus est Beatus Stephanus lapidatur primo anno Tiberii. Herodes fit Tetrarcha. Anno ejus quarto Ovidius moritur. Persius Satiricus oritur. Herodes Agrippa, Aristoboli filius et nepos Herodiadis, venit Romam accusans patruum et mittitur a Tiberio in vincula. Dispersio Apostolorum facta est anno tertio post ascensionem Domini. Paulus convertitur secundo anno post ascensionem emergenti non usuali. Beata Maria eodem anno assumpta est in cœlum quod illi revelationi concordare videtur, quæ facta est sanctæ Elizabeth sanctimoniali. Tiberio vivente, Media per Parthos, Gallia per finitimos, Armenia per Dacos, Pannonia a Sarmatis sunt direptæ.

Pilatus Lugdunum relegatus ore proprio damnatur et mittitur in Rhodanum. Tiberius obiit insidiis Gaii interemptus.

[Josephus libro XVIII antiquitatum. Tiberius reversus in Campaniam febrili ardore corripitur, et primo quidem mediocriter, sed in pejus ægritudine procedente, contrariam de eo spem habebat Evodus amantissimus ei omnium liberorum, jussitque ad eum filios ejus adduci, oportere namque dicebat ut cum eis loqueretur antequam terminum vitæ susciperet. Erant autem illi non quidem proprii, sed adoptati. Nam Drusus ejus filius jam fuerat mortuus, cujus filius Tiberius fuerat adoptatus, Gaius, Germanici filius, qui dum summo mane impransus pro foribus thalami imperatoris assisteret, etiam contra voluntatem imperatoris successor sibi designatus est. *]

Sub Tiberio V Olympiades fuere.

VMCCXXXV TIBERIUS IMPERAVIT XXIII ANIS, PRIVIGNUS AUGUSTI.

---

* To this word in the margin of the MS. is appended the note, " Alio dum impransus venire noluit contra voluntatem eligentis & divina voluntate reprobata. "

Gaius Caligula Germanici filius, sic a militari calceamento, id est Caligula cognominatus, quia natus in exercitu, imperat; et primo anno reddidit Herodi Agrippæ totum regnum Judæorum cum catena aurea ad tollendum opprobrium, exulato patruo [Herode] cum amita [Herodiade] Viennæ. Vienna dicitur quia via Gehennæ, id est locus supplicii proscriptorum. In alveo rodant in aureo cacabo, diu usus est Herodes crebro ibi cadente fulmine. Jacobus Zebedæi occiditur. Mathæus scribit evangelium. Petrus mittitur Jerosolymis in carcerem. Gaius jussit templum Jerosolymis prophanari sacrificiis gentilium, Jovis statua in eo locata, et se adorari. Huic Agrippa rex primus contradixit, et obtinuit. Sorores suas libidine cognitas exulavit Gaius. Qui rediens a ludis Circensibus a Prætorianis militibus occiditur anno vitæ suæ LXIIIIo [principe factionis quodam Chærea tribunitiæ potestatis, qui patrato facinore cum suis factiosis tam primo quam secundo die pariter occubuit]. Magna est historia mortis Gaii.

VMCCXXXIX. GAIUS IMPERAVIT FERE IIII ANNIS; NEPOS TIBERII EX FRATRE.

Claudius patruelis Gaii, filius Drusi et Antoniæ, sublimatur a militibus, reclamante senatu. Sed Herodes litem senatus et militum prætorum compescuit. Hic expugnavit Orcades et Britanniam et fundavit Exoniam.

Discipuli degentes Antiochiæ ministrabant fratribus, per manus Barnabæ et Pauli, habitantibus in Syria. Fausto patri sancti Clementis Simon Magus vultum transtulit Antiochiæ dans ei suum, sed beatus Petrus ei restituit. In Syria et Palæstina fames invaluit prædicta per Agabum prophetam, de quo in Actibus Apostolorum legitur. Agrippæ Herodi ab angelo percusso Cæsarææ, successit sibi filius Agrippa. Ad hunc fugit residua pars populi Israelis post eversionem factam a Tito. Agrippa primus moriens ait "En ego qui modo deus dicebar, nunc mortis nexibus astringor."

Philippus Apostolus obiit anno XXIo Claudii, et Mathæus anno

XXVo. Petrus Romam venit anno tertio Claudii, et sedit annis XXV, mensibus septem, diebus tribus. Post Petrum Evodus sedit Antiochiæ. Marcus scribit evangelium in Italia. Felix fit procurator Judææ, apud quem Paulus se defendit. Claret Palæmon qui dixit guttam stare, stellam cadere. Claudius anno 64 vitæ suæ veneno obiit. Sub Claudio fuere IV olympiades. Drusus quiescit Maguntio.

VMCCLIII. CLAUDIUS IMPERAVIT ANNIS XIIII, PATRUELUS GAII.

Nero quinquennio, scilicit ante imperii confirmationem, modestus fuit. Festus fit procurator Judææ, qui misit Paulum Romam vinculatum; consilio Agrippæ, quum appellasset ad Cæsarem. Statim in Gallia docet rhetoricam. Persius obiit anno vitæ suæ XXIXo. Lucanus cum Seneca nepote incisis brachii venis obiit deprehensus in Pisoniaca conjuratione, cujus pater Lucius Annæus bona ejus a Nerone privatur. Jerosolymis vitula agnam in sacrificio est enixa; et stella ad instar gladii ignea annis XL supra civitatem pependit. Angeli quoque auditi sunt dicentes " Migrate ex his sedibus." Seneca haustu veneni obiit. Petri et Pauli passio anno ultimo Neronis id est LXXIXo a passione Christi fit: prima persequutio Christianorum universalis sub Nerone: passi sunt Processus et Martinus, Nazarinus, Celsus, Nabor, et XLVII uno die Romæ. Nero filius fuit Domitiani et Agrippinæ sororis Gaii filiæ Octaviæ. Tremulus patrem perdidit anno XIo a Claudio adoptatus XVIIo factus imperator. Marcus evangelista obiit. Jacobus Alphæi occiditur. Pest Festum Florus succedens Judæos patibulo suspendit, unde et ipsi rebellare cœpere. Fuere et Esseni in causa auctoritate vida. Nero interfectis matre, fratre, sorore, uxore, et pene cunctis propinquis, et Lucretio poeta, et Seneca, et urbe incensa, se ipsum anno XXXIIo vitæ suæ peremit. In cujus morte populus pileis induitur, ac si crudeli ademptus dominio. Multi tamen, ut Haymo, et Juvenalis, et alii, aliter et aliter de ejus morte sentiunt. Clarent Juvenalis satyricus et Plutarchus histo-

ricus. Sedit Linus papa annis XI, mensibus tribus, diebus XIII. Secundum historiam ecclesiasticam coadjutores fuere Clementis Linus et Cletus.

VMCCLXVII. NERO IMPERAVIT ANNIS XIIII, NEPOS GAII.

Galba ab Hispania Romam venit, et imperavit mensibus sex, diebus octo: quem in foro Otho præfectus prætorio occidit. Qui imperavit mensibus tribus. Galba avarus et segnis, factus imperator, Pisonem adoptavit. Hunc Vitellius a Germania rediens occidit, sed comprehensus a militibus Vespasiani redeuntibus a Syria excarnificatur, et unco pertractus in Tiberi necatur anno vitæ suæ LVIIo. Anno secundo imperii Vespasiani Hierusalem a Tito filio ejus capitur Xo die Augusti, et interfecta sunt in ea undecies C millia, et C millia publice venundata, in ultionem dominicam, et propter defectionem ab imperio. Vespasianus filius Sabini, qui apud Helvetios obiit, factus imperator sanavit unum orbatum lumine, et alterum debili crure. Colossus a Vespasiano Romæ erigitur, et Capitolium ustum a Nerone reparatur. Obiit anno vitæ suæ LXX ventris eluvie, stans; et causam standi assignavit dicens, " Stantem imperatorem e terris excedere decet. Passus est beatus Apollinaris Ravennæ. Cessat sedes Romana diebus XXI. Judæos missos vinctos a tergo a Vespasiano refert Josephus in aqua supernatasse quasi vi spiritus; hi fuere jocapatite. Vespasianus enim ante excidium Hierosolyma Romam profectus duxit Josephum in vinculis, honorifice tamen.

VMCCXXVI. VESPASIANUS IMPERAVIT ANNIS IX: NON FUIT DE GENERE IMPERATORUM.

Titus filius Vespasiani utens proprio abstinuit alieno, qui culpatus quare plus promitteret quam dare posset, ait, " Non decet quemquam a principis sermone recedere tristem; " et recordans in cœna se nihil illa die dedisse, ait, " Amici, hunc diem perdidi. " Sedit Cletus papa annis XI, mense I, diebus II. Pontificatum se ideo Titus accepisse professus est, ut puras servaret manus, nec cædis esset auctor nec conscius. In amphitheatri dedicatione V mille ferarum occidit. Vir fuit omni virtutum genere specta-

bilis; morte præventus fuit majori hominum damno quam suo morbo. Facundus utraque lingua, obiit anno vitæ suæ XLII.

VMCCLXXVIII. TITUS IMPERAVIT ANNIS II, FILIUS VESPASIANI. *

* The following note occurs here in the original M.

Joannes III scribit episcopis Germaniæ et Galliæ : Si Petrus princeps apostolorum adjutorem sibi adscivit Linum et Cletum, non tamen potestatem pontificii aut ligandi aut solvendi normam iis tradidit sed successori suo Clementi, qui sedem Apostolicam post eum et potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora : princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi instabat. Item Gratianus in paragrapho : Illud autem beati Petri ab illis valet in argumentum assumi qui talem sibi substituunt qualem sibi successorem beatus Petrus quæsivit.

Beatus Beda in Martyrologio : Natalis Sancti Clementis episcopi qui tertius a beato Petro Romanæ ecclesiæ pontificatum tenuit et sub persequutione Trajani in mare præcipitatus martyrio coronatur. Idem in eodem : Natalis beati Lini papæ qui post Petrum primus Romanam ecclesiam tenuit annis 12 et martyrio coronatus sepultus est in Vaticano.

Joannes Faventinus episcopus super hunc locum dicit : SI PETRUS ITA &c. Dicitur hic quod Petrus non substituit sibi Linum vel Cletum sed tantum Clementem : videtur tamen contradicere Historia Ecclesiastica : habetur enim in præfatæ historiæ libro tertio quod : Secundo anno regni Titi Linus apud Romam accepit episcopatum, qui 12 annis transactis successorem Cletum reliquit, qui et ipse 12 annis exactis in episcopatu sacerdotii sedem Clementi tradidit. Sed sciendum est quod Petrus primum sibi successorem Clementem constituit, qui post mortem Petri continuo pontifex resedit, Lino et Cleto quasi coadjutoribus et ministris sibi adsistentibus, transactis postmodum 20 et eo amplius annis, sicut in gestibus Romanorum pontificum legitur, metuens nisi spiritu sancto plenus S. Clemens ne Apostolica ordinatio posteris transiret in vitium, dum quidam hæreditarium munus putantes minus de Dei cogitarent electione; unde et Cletum priorem in episcopatu ante se coegit pontificari, postea illis per successionem in episcopatu defunctis, qui quartus a Petro cathedram tenuit, et ita fuit Clemens secundus et quartus a Petro, secundus per Petri electionem, quartus per sequentium successionem. Hoc idem probari potest per multa capitula decretorum, in quibus memoratur consecratio Clementis per beatum Petrum.

Domitianus frater Titi primo clemens fuit. Vicit Germanos et Gothos. Orator fuit et locorum ædificator; fecit Pantheon et tegulis æreis operuit. Interfectus a senatu anno nativitatis XXXVo sepultura caruit. Anno imperii ejus XIIIIo fit persequutio Christianorum secunda. Beatus Johannes scribit Apocalypsim, quam Irenæus exponit. Josephus vicesimum librum Antiquitatum scribit. Hic multa prædixit Vespasiano de ejus imperio et morte Neronis; diem etiam irruptionis prædixit civibus. Claret Quintilianus rhetor. Jacobo Alphæi Simon Cleophæ Hierosolimæ successit. De hoc tamen diversi diversa sentiunt. Sedit Clemens papa annis IX, mensibus II, diebus X. Deponuntur chorepiscopi: apud sanctum Dominum est adhuc chorepiscopus. Passi sunt Dionysius Areopagita Parisius, Lucianus Beluaco. Domitianus jusserat omnes de genere David occidi.

VMCCXCIIII. DOMITIANUS IMPERAVIT ANNIS XVI, VESPASIANI FILIUS.

Johannes apostolus scribit evangelium. Pullulat hæresis Cerinthiorum qui circumcisionem observant, et M annos post resurrectionem in carnis voluptate futuros prædicant, et Ebionitarum qui dicunt Christum per provectum solum virum justum effectum. Nerva obiit quum jam adoptasset Trajanm anno vitæ suæ 72.

VMCCXCV. NERVA IMPERAVIT ANNO I. ALIENUS FUIT ET REX SAMNITUM.

Trajanus, genere Hispanus, vicit trans Tiberim Germanos et multas gentes trans Tigrim et Euphraten, et occupavit Seleuciam et Babyloniam. Liberalis fuit, constans, largus, fortis, prudens.

Trajani hujus animam jam olim pœnis traditam, dux miserendi Dominus placatus sancti precibus Gregorii rorifluis revocavit ab inferis. Dormivit in Domino Beatus Johannes Apostolus et Evangelista die beati Johannis Baptistæ. Sedit Anacletus papa, qui sancivit ut ad minus tres missæ interessent, annis IX, diebus tribus. Post eum Alexander, qui statuit hostiam semper debere fieri ex aqua et vino, annis 8, mensibus 5, diebus 2. Sed inter Anacletum et Alexandrum sedit Evaristus papa, qui statuit,

aquam benedictam fieri omnibus dominicis diebus, annis 10, mensibus 5, diebus 11. Tertia fit Christianorum persequutio. Passi sunt Romæ Alexander papa et Hermes qui fecit Pastoralem, et Quirinus, Eventus, Theodolus, et Ignatius Alexandriis bestiis consumptus. Passus est Simon Cleophæ in Hierosolymis in cruce quum esset CXX annorum. Hic prius prædicavit in Ægypto. Persequutione fervente Plinius Secundus præses imperatori scripsit Christianos nihil contra rempublicam facere, et mox temperatum est edictum. Clarent Julianus Cenomanensis et Taurinus Ebroicensis episcopi. Trajanus apud Seleuciam Isauriæ urbem ventris profluvio extinctus est anno vitæ suæ LXVo. Sub eo IIII Olympiades fuere. Solus Trajanus intra urbem est sepultus.

VMCCCXIIII. TRAJANUS IMPERAVIT ANNIS 19 : HISPANUS.

Ælius Adrianus dictus est quia Arrianus : consobrini Trajani filius fuit, orator Latine et Græce, cantor, medicus, geometricus, facetus, acer ad lacessendum et respondendum, seriis, joco, maledictis, instructus a Quadrato discipulo apostolorum, præcepit ut nullus Christianus sine objectu criminis puniretur. Passi sunt Eustachius et Faustinus cum sociis, locis diversis. Ælius vicit Sauromatas et Hierosolymam reædificavit, Æliam eam appellans, et Judæis ingressum prohibuit. Primus ibi episcopus ex gentibus fuit Marcus. Dictus est Ælius pater patriæ. Sed quum iterum Judæi ingredientes urbem rebellassent, missus est Helius Ruffitus qui omnino eam delevit non relinquens lapidem super lapidem. Claruit Aquila interpres; hic transtulit de Hebræo in Græcum anno CXXV post ascensionem Domini. Sedit Sixtus Papa, qui statuit Sanctus dici ad missam, annis X, mensibus IIII, diebus XXI. Post Telesphorus Græcus, qui statuit *Gloria in excelsis Deo !* cantari nocte natalis, et in eo quæ sequuntur adjecit, et falsum est quod beato Hilario ascribunt, et instituit in quadragesima jejunari, quum ante ecclesia semper jejunaret, qui sedit annis XI, mensibus III, diebus XXIII.

VMCCCXXXV. ADRIANUS IMPERAVIT ANNIS 21, CONSOBRINI TRAJANI FILIUS.

Post Adrianum imperavit Antoninus Pius Marcus Fulvius benignus, gener Adriani. Sedere papæ Hyginus annis 3, mensibus 3, diebus 7 : Anacletus secundus annis 9, mensibus 3, diebus 4 : Pius annis 11, mensibus 4, diebus 21 : Soter annis 4, mensibus 3, diebus 22. Claruere Photinus Lugdunensis archiepiscopus, et Arrianus Nicomediensis philosophus, Apollonius Stoicus, Basilides Scythopolitanus, Gallienus medicus, Eriseus, Justinus Martyr et philosophus. Hic sanctus Fortinus quatuor columnas marmoreas emptas Romæ dæmoni deposuit, Lugdunum vehendas, qui quartam Rhodano immersit, tertiam vero præcepto sancti in duo secavit, et Lugdunum detulit, quibus presbyterium martyris ecclesiæ sustentatur. Pullulat hæresis Valentiniana quæ dicit Christum per Mariam quasi per fistulam transisse, contra hos scripsit apostolus dicens factum ex muliere et in evangelio, *Beatus venter qui te portavit*, et Marcionista hæresis et Apelliana dicitur quæ dicit unum Dominum justum, alterum bonum, et Basilidiana quæ passum Christum negat, sed alium similem sibi supposuisse.

VMCCCLVIII. ANTONINUS IMPERAVIT ANNIS XXIII; GENER ADRIANI.

Marcus Aurelius Antoninus, vir severissimus, ascivit ad partem imperii Lucium Aurelium Commodum propinquum suum, et hi ambo Parthos vicere. Quarta fit persequutio Christianorum. Sedit Eleutherius Papa, qui misit prædicatores in Angliam Dinan et Fagan atque Aaron, petente rege Britonum Lucio. Tunc limitati sunt veteres episcopatus sub metropolibus Londonum, Eboracum et Caerlium, qui nunc dicitur Sancti David, et tunc fundata est abbatia Westmonaster, ultimo anno Antonini; sed postmodum præfata abbatia, diu destructa, ab Edwardo rege reparata est et nobiliter dotata. Vates quidam paganus in Britannia dominicam nativitatem prædixerat, unde rex Lucius Romam pro orthodoxæ fidei doctoribus misit. Eleutherius statuit ut nullus repudiet escam rationalem. Soter papa statuit ut monacha sacra non tangat, nec incensum offerat. Passi sunt Fortinus Lugdunensis episcopus et Valentinus et Polycarpus

presbyteri. Polycarpus Smyrnæorum fuit antistes, scriptor actaum beati Johannis Evangelistæ, quem imperiti eundem autumant. Idem error est de Valentino. Magna pestilentia per orbem invaluit. Romanorum exercitus vallatus hostibus invocato Christi nomine pluviam obtinuit. Hæresis latrat Catafrigarum, auctoribus Montano, Priscilla, Maximilla, dicentibus Spiritum Sanctum in se fuisse, non in Apostolis. Passi sunt Septem fratres. Clarent Dionysius Corinthiorum episcopus et compotista, et historiographus, et Fronto rhetor, Aristides historiographus, Oppianus Atticus, Hegesippus historiographus. Hunc Dionysium multi errantes magnum Dionysium Areopagitam estimarant. Dicunt enim magnum Areopagitam occidentem non ingressum. Antoninus et Commodus moriuntur apoplexia. Hic Antoninus regnavit cum filiis Aurelio et Lucio.

VMCCCLXXVII. ANTONINUS IMPERAVIT ANNIS 19.

Aurelius Commodus cunctis incommodus imperavit, patre defuncto, vir luxuriosus et obscenus. Capitolium crematur. Theodotion interpres de Hebræo in Græcum LIII anno post Aquilam tempore Commodi claret. Sedit Victor papa, qui concilium congregavit in Cæsaræa Palæstinæ, habita quæstione de Pascha, annis 10, mensibus 2, diebus X. Huic concilio interfuere Narcissus Jerosolymitanus patriarcha, Theophilus Cæsariensis, Irenæus Lugdunensis archiepiscopus. Victor Afer statuit vasa ecclesiastica debere esse aurea, et argentea in pauperrimis ecclesiis. Commodus strangulatus ab Ælio præfecto in domo Vestali.

COMMODUS IMPERAVIT ANNIS XIII ; FILIUS AURELII.

Ælius Pertinax scelere Juliani legisperiti occiditur in palatio.

VMCCCXC. ÆLIUS IMPERAVIT MENSIBUS VI ; FILIUS COMMODI.

Julianus apud pontem Molinum bello civili est extinctus. Clarent Clemens Alexandrinus, Pantheus, Flavius Africanus, Musianus historiographi.

JULIAUN IMPERAVIT MENSIBUS SEPTEM ; SENATOR INTRUSUS.

Severus genere Afer ex nomine Helyi ulti dicitur Pertinax.

Severus fuit et multis bellis lacessitus laboriosissime rexit rempublicam. Claret Symmachus interpres, XXX annis post Theodotionem. Quinta fit persequutio Christianorum. Leonides pater Origenis Tyro passus est: sed quum Origenes pati pro Christo vellet, pro infantia eis pepercerunt. Passus est Irenæus Lugduni cum XIIII millibus. Celeberrimum est miraculum de responso illius cohortis et quotidie in eorum repræsentatur ecclesia ante lauder matutinales. Eductis 14000 Christianorum et extra Lugdunum decollatis, ultimo decollato archiepiscopo, cadaver ejus se erigens, et caput manu portans, quum venisset ad sociorum funera, ait caput, " Exultabunt sancti in gloria," et statim tota cohors respondit "Lætabuntur in cubilibus suis." Severus requiescit Eboraci in monte qui ab eo Severes hodie dicitur. Sedit Zephyrinus annis IX, mensibus VI, diebus X. Obiit Ulpianus jurisperitus Remis, socius Severi.

VMCCCCIX. SEVERUS IMPERAVIT ANNIS XVIII.

Aurelius Antoninus Bassianus, Caracallas dictus pro genere vestis, duxit novercam suam et post occiditur Edessæ. Quinta editio Hierosolymis VIII annis post Symmachum inventa est, cujus auctor ignoratur. Latrat Symmachus hæreticus. Sedit Calixtus Papa annis VI, mensibus II, diebus X; hic statuit IIII tempora celebrari.

VMCCCCXVI. ANTONINUS IMPERAVIT ANNIS VII; FILIUS SEVERI.

Macer Macrinus Ophilus, primo præfectus palatii, tumultu militari occiditur.

VMCCCCXVII. MACRINUS IMPERAVIT ANNIS I; SENATOR INTRUSUS.

Marcus Antoninus Aurelius sacerdos templi Heliogobali cum morte punitur. Sabellius oritur Sabellieni, qui et patripassiani, dicunt unam esse personam patris et filii et spiritus sancti.

VMCCCCXXI. AURELIUS IMPERAVIT ANNIS III.

Mater Alexandri Mammæas Origenem audivit. Orante Sancto Calixto papa et Alexandro imperatore thurificante, ara Jovis fulminata est et sinistra Jovis aurea liquefacta et capitolium incensum.

Origenes, post XVIII annos post quintam editionem, translationem LXX obelo et asterisco correxit, et post solus transtulit. Origenes dixit filium non posse videre patrem et animas in principio peccasse, et pro varietate peccatorum diversa corpora induisse; dixit etiam Christum sicut semel passum in terra pro hominibus, sic adhuc pati in aere pro dæmonibus. Sedere passo Calixto Urbanus, et eo passo Pontianus annis V, mensibus II, diebus II, [Hic exulatus est]. Passi sunt Tiburtius et Valerianus et Cecilia Romæ sub Almachio.

VMCCCCXXXIIII. ALEXANDER IMPERAVIT ANNIS XIII, FILIUS AURELII.

Sub Maximino Julio sexta fit persequutio, et præcipue in sacerdotes Christianos propter odium Mammææ. Julius vicit Germanos et in Aquileia a Pupieno occiditur, qui post in palatio occiditur. Sedit Anterius mense I, diebus XV. Passi sunt Pantaleon et Juliana.

VMCCCCXXXVII. MAXIMUS IMPERAVIT ANNIS III SENATOR INTRUSUS.

Gordianus fraude suorum secus Euphratem a Parthis cæditur. Sedit Lucius annis tribus, mensibus tribus, diebus tribus. Claret Porphyrius qui Mathæum dixit imperitum. Gordianus triumphavit de Medis.

VMCCCCXLIII. GORDIANUS IMPERAVIT ANNIS VI, FILIUS ALEXANDRI.

Philippus Marcus Julius primus fuit Christianus imperator, et Philippum filium consortem regni fecit, pater Veronæ, junior Romæ a Decio occiditur. Sedit Stephanus annis IIII, mensibus II, diebus XV.

VMCCCCL. PHILIPPUS IMPERAVIT ANNIS 7, FILIUS MAXIMINI.

Sub Decio septima fit in Christianos persequutio. Passo Stephano sedit Sixtus secundus, Hispanus, annis 2, mensibus 11, diebus 6. Sixtus parochias et ecclesias fecit, et dedit presbyteris, fecit et cimiteria. Passo Sixto sedit Fabianus annis 14, mensibus 11, diebus 11. Fervente persequutione in odium Philippi, passi sunt beatus Laurentius, Hippolitus, septem dormientes,

Abdon, et Sennes. [Sed et hic latet anguis in herba.] Hæresis latrat Novatiana, quæ rebaptizabat. Sanctus Gratianus mittitur Turonem, et sedit primus ibi episcopus anno I. Decius occiditur a Barbaris, aliter tamen repetitur in historia beati Laurentii.

VMCCCCLI. DECIUS IMPERAVIT ANNO I, ADVENA ELECTUS.

Gallus Hostilianus cum filio Volusiano imperat. Origenes Tyro sepelitur, post mortem excommunicatus tempore beati Jeronymi.

VMCCCCLIII. GALLUS IMPERAVIT ANNIS II, FILIUS GORDIANI.

Octava fit persequutio in Christianos a Valeriano, qui sanctos Dei ita primo venerabatur, ut domus ejus Dei ecclesia diceretur: qui post a Sapore rege Persarum captus miserabiliter consenivit et acclinis humi regem ascensurum non manibus, sed dorso equo attolleret. Eodem anno quo Valerianus captus est, et Gallienus Cæsar factus. Paulus eremita Jerosolymam petit 16o anno vitæ suæ. Cyprianus Carthaginensis magnus doctor non magis coronatus. Passo Fabiano sedit Cornelius annis 3, mensibus 2, diebus 10. Adhuc extant epistolæ Cypriani. Hic transtulit corpora Petri et Pauli. Gallienus Christianis pacem reddidit, et post Mediolanis interfectus est.

VMCCCCLXVIII. GALLIENUS ET VALERIANUS IMPERAVERUNT XV ANNIS: GALLIENUS FILIUS GALLI ALTER ASCITUS AB ALIO.

Claudius Gothos ab Illyrico expulit, illi clipeus et statua equestris et arma sunt in curia locata. Huic successit Quintillus frater, VIIo die occisus. Latrat hæresis Pauliana dicens Christum non semper fuisse. Synodus Angeritana, cui interfuit Vitalis Antiochenus, celebratur.

CLAUDIUS IMPERAVIT ANNIS II, FILIUS GALLIENI.

Aurelianus vir militaris Gothiam et Syriam vindicavit: primo fuit Catholicus. Concilium fit Antiochiæ. Nona persequutio fit in Christianos. Passa est sancta Columba. Hic Lugduni corpus Pilati Rhodano extraxit, et portam orientalem dæmonio

liberavit. Sedit Gaius papa qui ordines statuit. Ante pedes Aureliani fulmen cecidit et post subito interiit.

VMCCCCLXXV. AURELIANUS IMPERAVIT ANNIS V, FILIUS GALLIENI. TACITUS IMPERAVIT MENSIBUS VI: SENATOR INTRUSUS. FLORIANUS IMPERAVIT MENSIBUS TRIBUS; SENATOR INTRUSUS.

Probus Gallias liberavit a Barbaris occupatas. Hæresis latrat Manichæorum qui dicunt duas naturas esse et substantiam bonam et malam, et animas ex Deo quasi ex fonte procedere. Galli vitem coluut.

PROBUS IMPERAVIT ANNIS VI, FILIUS AURELIANI.

Karus cum filiis Karino et Numeriano. Karinus in prælio et Numerianus ab Apro socer occiditur. Carus de Persis triumphavit et post supra Tigrim fulmine est interemptus.

VMCCCCLXXXIII. CARUS IMPERAVIT ANNIS VIII; FILIUS PROBI.

Dioclesianus Dalmathæ scribæ filius libros divinos combussit, primus in vestibus gemmas impressit. Decima fit Christianorum persequutio, omnibus major et diuturnior. Marcellinus papa Romanus, sedit annis V, diebus XII: hic urgente persequutione idolis thurificavit, sed statim pœnituit, et se præsentans Dioclesiano decollatus est, corpusque ejus proprio præcepto inhumatum jacuit. Die vero trecesimo revelatione beati Petri est sepultum ad pedes ejus.

Dioclisianus assumpsit in regni consortium Herculium Maximianum; Galerium, II annis; Constantium, XIII annis. Galerius Valeriam filiam Dioclisiani duxit. Constantius duxit Theodoram privignam Herculii, ex qua sex filios sustulit. Constantinum vero ex Helena, filia regis Coel, qui Colecestriam ædificavit. Horum tempore passi sunt Tyro XI millia, Romæ XM, Vercellis XM. Nec fuit urbs in Romano imperio in qua non funderetur sanguis Christianorum: cui tunc subjacebant Græcia, Hispania, Germania, Gallia, Anglia, Italia, Africa, Syria, Burgundia, Armenia, Chaldæa, Parthia, Media, Mesopotamia, Ægyptus et Lybia, Dacia, Sclavonia, Thracia, Scythia et omnia regna mundi præter Indiam.

Passa est legio Thebæa Agauno. Passi sunt Marcellus, Marcellinus, Sebastianus, Tiburtius, Agnes, Anastasia, Romæ. Passus est Vincentius Valentiæ, Cosmas et Damianus Veronæ. Chrysogonus Aquilegiæ. Albanus Verolamio. Crispinus et Crispinianus Suessionis. Agatha Catini, Lutia Syracusiæ. Fidis Aginno. Quintinus Augustæ. Claret Antoninus eremita. Anno persequutionis secundo Dioclisianus Nichomediæ, Maximianus Mediolani uno et eodem die deponunt purpuras. Maximianus a Gallerio occiditur. Constantius Britones constituit in occidentali parte Galliæ et obiit Eboraci. Constantinus filius ejus nothus invasit regnum.

VMDIV. DIOCLISIANUS IMPERAVIT XX ANNIS, SOCIUS DECII, ELECTUS A SENATU.

Sedit Melchiades qui confirmationes statuit. Sedit Sylvester Romæ qui statuit pallas altaris lineas esse debere, annis 23, mensibus 10, diebus 12. Sylvester statuit dalmaticas, et dies non dici a planetis, et quod laicus clericum non accuset nec clericus litiget coram laico. Sub Julio Papa fuit Nicæna synodus, in qua dictum est de spiritu sancto ipsum procedere solum a patre. Quæ etiam synodus habet auctoritatem evangelicam, et hæc est prima quatuor celebrata contra Arrium. Marcus Papa statuit ut Ostiensis Episcopus consecret Romanum. Severus occiditur. Liscinius a Galerio fit Imperator. Herculius detectus a Fausta filia quod dolum Constantino faceret marito suo Massiliæ occiditur. Maxentius filius Herculi occiditur, sub quo passa est Katerina Alexandriæ. Pax a Constantino Christianis redditur, et licentia congregandi concilia, anno imperii Romanorum 351, imperii Constantini 8, ab urbe condita 1065, ab incarnatione Domini 313, ab initio mundi 5511, a passione Domini 281 secundum Chrisostomum, secundum alios uno minus. Crux Domini ab Helena matre Constantini reperitur. Sapor rex Persarum Christianos persequitur. Crispus et Constantinus et Constantius et Liscinius filius Liscinii et Constantiæ sororis Constantini et Julianus Apostata nepos Constantii a Constantino Imperatore sunt Cæsares facti. Alexander episcopus Alexandriæ vir magni

meriti Arrium ab ecclesia expulit. Natus est beatus Martinus, decennis fit cathecuminus, quindennis militavit. Quum esset X et VIII annorum baptizatus est. Post baptismum biennio militavit. Sub Juliano apud Vangionem militiæ renuntiavit. Facta est beluacus in gratulationem Juliani. Conditur Constantinopolis et imperium in gratiam transfertur, [patriciatu Romæ perseverante.] Constantinus uxorem suam deprehensam in adulterio immemor pristini beneficii occidit. Clarent sancti episcopi Osius Cordubensis, Dorotheus Tyrius, Nectarius Viennensis, Eusebius Cæsariensis, Retinus Augustudunensis, i. Eduensis, Ewurtius Aurelianensis et Paphnutius qui cælibatui indicendæ orientali ecclesiæ contradixit in concilio Laodicensi, confessor in Ægypto. Claruit beatus Nicholaus. Synodus Gangrensis contrá Eustachium congregatur, in qua statutum est anathema esse qui olera cum carne cocta exceratur. Templorum ingressus est inhibitus. Constans filius Constantini provehitur ad regnum. Constantius frater ejus, in Arrianam hæresim declinat. Juvencus rogatu Constantini evangelium versibus scripsit. Corpora sanctorum Andreæ, Lucæ, Timothei, Constantinopolim sunt translata. Constantinus caput semper diademate, et vestem gemmis ornabat. * Bonas artes et studia litterarum legebat.

VDXXXIIII. CONSTANTINUS FILIUS HELENÆ IMPERAVIT ANNIS XXXI: ROMANUS EX PATRE, BRITO EX MATRE.

Post Constantinum imperavere tres filii ejus, Constantius Romæ, Constantinus Constantinopoli; Constans Antiochiæ. Athanasius Alexandrinus episcopus adversus Arrium qui diversas in trinitate prædicabat substantias Laodiciæ disputat. Hic puer baptisavit joco pueros. Quia tamen in forma statuta baptizavit, non est iteratus baptismus. Arrius juxta forum Constantini pergens in secessum eadem die conflictum habiturus contra Catholicos meatum ejecit et expiravit. Monstratur adhuc locus in urbe Constantinopolitana. Relegantur a Constantio Athanasius

* In the margin of the MS. are the words, "Karolus gladio semper accinctus."

Alexandrinus et Eusebius Vercellensis episcopus et martyr et Hilarius Pictavensis. Sedit Liberius annis X, mensibus VII, diebus VII, sed eo deposito sedit Felix anno I. Sed Liberius declinans in hæresim revocatur ab exilio, et secundo Felice depositi, sedit iterum Liberius annis V. Sub hoc Liberio factum est miraculum de sancto Hilario de terræ elevatione. Passo episcopo Eusebio Christianorum fit persequutio. Constantinus filius Constantini obiit Nicomediæ. Constans dolo Magontii filii Maxentii in Gallia occiditur. Magontius victus a Constantio apud Mursam fugit et Lugduni se interfecit, cujus frater Decentius Senonis se suspendit. Constantius Gallum patrui sui filium, a se factum Cæsarem fratrem Juliani interficit. Latrat hæresis Antromorphitarum, hi dicunt Deum habere humana membra. Quum quidam dictus Leo exprobrando diceret beato Hylario, "Tu es Gallus," respondit "Ego Gallus non sum, sed de Gallia natus, et tu es Leo, sed non de tribu Juda." Revocato Hilario sanctus Martinus sub eo monachatur, et post visis parentibus sabarie, mansit Mediolani, sed eum Auxentius Arrianus inde expulit. Sanatus Lidorius fit Thuronis Archiepiscopus. Obiere Paulus et Antonius eremitæ. Tunc beato Antonio in deserto vaganti loquutus est satyrus, et obvius fuit Centaurus. Clarent Donatus grammaticus, et Victorinus rhetor extremo baptizatus.

VMDLVIII. CONSTANTIUS IMPERAVIT ANNIS XXIIII: FILIUS CONSTANTINI.

Valentinianus Millenarius ministrum super se apostasiæ aquam jacientem percussit, et exulatus est: sed revocatus factus est imperator post Jovinianum. Julianus diaconus et monachus apostatat, et Pigmenium magistrum suum in Tiberi necat. Causam apostasiæ in Tripartita reperies Historia. Coquos a curia et tonsores erasit, quia crudis tantum vescebatur leguminibus, et Nazaræus permansit. Undecima persequutio Christianorum facta est illiciens.

[Julianus in pueritia quum quadam die absente magistro per quasdam adjurationes quas in libro magistri Siri scriptas reperat, multitudinem dæmonum advocasset, illorum præsentia

nimium territus signo crucis eos fugavit. Qui postmodum nigromantiæ deditus, et apostata factus istud signum maxime odio habuit quia sciebat hoc signo dæmones posse fugari. Item quum monachus esset et fidelis putaretur, quædam mulier commendans ei tres ollas plenas, sed in superficie cinere respersas, muliere ei non indicente quid in ollis sub cinere reconderetur, quumque ille postmodum aurum furaretur et ollas cinere repleret, mulierique eas reposcenti tradidisset; illa aurum amissum a Juliano reposcit. Quo abnegante indicatum est illum non debere aurum persolvere, quia mulier de auro in commendatione tacuerat.]

Passi sunt Johannes et Paulus, Donatus episcopus et Quiriacus crucis inventor, Gordianus et Epimachus. Sepulcrum Baptistæ invaditur. Julianus ob odium Christi dedit Judæis licentiam repatriandi et templum construendi, sed divino terrore statim perculsi quidam eorum crediderunt, quidam vero diffugerunt. A bobino ilia Julianus conto perfossus moriens ait "Vicisti, Galilæe, vicisti." Aliter Basilius refert, aliter et fides ecclesiæ. Julianus diebus theologiæ, noctu vacabat nigromantiæ. De ejus tumba Constantinopoli adhuc fœtor mirus procedit. Celeberrima sunt mira de ollis, de statua Martis, de corona florum, de dæmonibus.

VMDLX. JULIANUS IMPERAVIT ANNIS II, NEPOS CONSTANTII.

Jovinianus vir fortis et clarus millenarius maluit cingulum perdere quam thurificare, pro necessitate tamen belli Persici inter viros militares habitabat. Sed quum eligeretur in imperatorem, ait se nolle militibus imperare paganis, quum ipse Christianus esset. Promittentibus cunctis se velle fieri Christianos, promotus est. Sed in cubiculo novo calore prunarum et nidore parietum nuper calce illitarum suffocatur. Ex primicerio factus est imperator. Sub eo fuit ultima Olympias. Fuere autem in 1126 annis Olympiades 225. Sedit Damasius sub quo congregata est Synodus Antiochena tertia, annis 18, mensibus 2, diebus 2.

VMDLX. JOVINIANUS IMPERAVIT MENSIBUS OCTO: ALIENUS A GENERE CONSTANTINI.

Valens et Valentinianus frater ejus major primo tribunus

imperavit. Valens ab Auxentio Arriano Mediolanensi Archiepiscopo baptizatus, Christianos persequitur. Gratianus Valentis filius Ambianis fit imperator: apud Atrabas lana pluviæ mixta de cœlo fluxit. Sanctus Hylarius obiit. Ambrosio facto episcopo Italia ad fidem convertitur. Eo fere tempore quo beato Martino Thuronensis episcopatus datus est, adiit Valentinianus cujus Salam ignis operuit, quia viro Dei assurgere non est dignatus.

De Francis.

Hic incipit de historia Francorum. Valentinianus Saxones oppressit, et Alanos ad Meothides paludes fugavit. Iterum eos sequutus Sicambros evocat, et tributa eis decennio remisit, ut bellum contra Alanos susciperent. Quod suscipientes ita totam gentem delevere, ut ex innumera multitudine, nec unus superstes relinqueretur. Decennio decurso solitum exacti tributum solvere renuunt. Quare Valentinianus collecto ingenti exercitu bello eis appetit, et vincitur. Quo infortunio efferati crudeliter sub Marchomere et Ginibaldo et Priamo ducibus a Sicambria egressi, plurima oppida secus ripas Reni occupare. Mortuo Marchomere Faramundus eis præponitur, a quo Franci dicti sunt, non ut quidam somniant, a feritate quasi feranci. Clarent sancti Basilius Cæsariensis, cujus precibus, sanctus Mercurius, jubente beata Maria, occidit Julianum Apostatam, et Gregorius Nazanzenus doctor Jeoronimi, et beatus Martinus Thuronensis episcopi. Patres quoque Macharius, Isidorus, Heraclides, Benjaminus, Effrem. Obiit Athanasius Alexandrinus Patriarcha, qui symbolum fecit quod *Ad primam* dicitur. Valens monachos militare nolentes interfecit, consilio Arrianæ uxoris. Passa sunt Coloniæ XI millia virginum de Britannia venientes. Gothi fiunt hæretici qui nunquam fuerant Catholici. Valentinianus minor filius majoris natus de Justiniana Arriana consilio Matris adhuc puer, post mortem patris, qui in Thracia fugiens a Gothis occisus, incensus est in casa. Mediolani pulsabat Ambrosium, et obsedit in ecclesia. Tunc hymni et vigiliæ ibi repertæ et usus Mediolanensis, sed postmodum usus Gregorianus per miraculum in ecclesia prævaluit. Mediolanensibus adhuc primum usum

ob auctoritatem sancti Ambrosii suæ civitatis episcopi retinentibus. Gens Hunorum Gothiam vastat.

VMDLXXV. VALENS ET VALENTINIANUS IMPERAVERUNT ANNIS XV: NON DE GENERE IMPERATORUM.

Gratianus filius Valentis cum patre et Valentiniano fratruele et Theodosio filio quem orienti præfecit, regnavit. Catholicus fuit, modestus, litteratus, sobrius, castus. In Francia regnavit Clodio filius Faramundi qui expugnavit Cameracum. Post quem regnavit Merovetus a quo Franci dicti sunt Meroingi. Burgundiæ rex fit Gundiocus. Gratianus a Maximiano tyranno Britanniæ Lugduno occiditur. Synodus Constantinopolitana celebratur sub Gratiano et Damaso, sed hic Damasus non fuit Romanus Papa. Nam tunc Constantinopolitanus se primum scribebat.

VMDLXXXII. GRATIANUS IMPERAVIT ANNIS *; FILIUS VALENTIS.

Valentinianus junior post mortem fratruelis fugit ad Theodosium in orientem. Maximianus inter Aquileiæ muros occiditur. quum ante in Italia triumphasset, quod ei Sanctus Martinus prædixit. Sedit Anastasius, qui canonicos Lateranenses ab obedientia Lucensis ecclesiæ absolvit, et ne sederetur ad evangeliam statuit. Valentinianus Viennæ occubuit. Hieronymus Presbyter.

VMDLXXXIX. VALENTINIANUS IMPERAVIT ANNIS VII, FILIUS VALENTINIANI.

Claret Johannes anachorita. Sedit Innocentius quo synodus Constantinopolitana quinta celebratur contra Macedonium et Eunomium. Innocentius statuit osculum ad missam dari in loco Eucharistiæ qui in primitiva ecclesia omnibus quotidie dabatur. Theodosius Archadium filium orienti præposuit, Honorium Italiæ, Galliæ, Africæ, et post Mediolani, moritur. Bizantio translatus, vir munificus, effusus in omnes, sed in suos dormit. Lege data jussit templa idolorum solo tenus

* The figure 6 is inserted in the MS. by a later hand.

everti et sacrificia et ludos inhiberi. Hunc imperatorem beatus Ambrosius excommunicavit ut regem Italiæ non ut imperatorem Romæ. Septem dormientes Epheso sunt inventi. Clarent Dindimus* vir artium peritus, orbatus antequam litteratus, qui 12 millia librorum scripsit, et Niceta Viennensis archiepiscopus, et Justus Lugdunensis archiepiscopus. Theodosius fuit hæresium extirpator, cujus rogatu Damasus papa scripsit beato Jeronimo, ut ordinaret officium ecclesiasticum, quod et fecit de psalmis.

THEODOSIUS IMPERAVIT ANNIS IIII : FILIUS GRATIANI.

Dormit beatus Martinus. Clarent sanctus Johannes, Chrysostomus, et sanctus Donatus, qui serpentem Epiro occidit. Celeberrima est visio Germani Capuanensis de illo Johanne. Arcadium Innocentius papa excommunicavit, quia ejectioni Johannis Chrisostomi consensit. Habakuk et Micheas reperti prophetæ. Grando vehemens Bizantio palatia solo tenus evertit. Hæresis latrat Pelagiana, quæ liberum arbitrium Divinæ gratiæ anteponit: hæc Britanniam corrupit: Eliudiana, quæ dicit Joseph ex Maria liberos suscepisse, hæc Judæos usque adhuc infecit: Donatista, quæ minorem Patre Filium dixit, hæc fere totam corrupit Africam. In Francia regnavit Chilpericus filius Meroveti. Huc usque protraxit historiam OROSIUS presbyter. †

ARCHADIUS IMPERAVIT ANNIS XII; FILIUS THEODOSII.

Hoc tempore beatus Arridius Vesontinus archiepiscopus sandalum Papæ reperit, ‡ quod fama beato Audoeno attribuit. Tunc passus est beatus Desiderius Lingoniensis cum Vincentio archidiacono. Sedit Zozimus qui cereum Paschalem instituit.

---

* Didymus.

† This observation shews that the authorship of a chronicle cannot be claimed for the very words in which the chronicle has come down to us: for though the work of Orosius extends to this point, yet our chronicle down to this date is certainly not in the very words of Orosius. See the Preface.

‡ The words "dæmone tenente in manibus" are found in the margin of the MS. Reg. xiii, a, 12.

Post hunc Bonifacius. Post quem Celestinus qui gradale instituit, et misit Palladium in Scotiam prædicare. Reliquiæ beati Stephani inventæ sunt. Claret beatus Augustinus. Roma ab Alarico rege Gotho capta est, quem Honorius cum aliis tyrannis occidit [turbine venti, et post Ravennæ defecit. *] Claret Cassiodorus patriarcha Bizanzenus.

VMDCXXV. HONORIUS IMPERAVIT ANNIS XX; FRATER ARCADII.

Sanctus Anianus episcopus Aurelianensis, juvante Ethio patricio et Tursomere rege Gothorum, Aurelianum defendit ab Attila duce Hunnorum. His temporibus in Vatas.' factum est miraculum de tribus guttis super altare, quæ unitæ unam gemmam fecere, qua cruci impressa, reliquiæ sunt emulsæ. Clarent sanctus Ellidius Alvernæ, et sanctus Germanus Autisiodori, et sanctus Mamertus Viennæ episcopus. Amantium sepulcra sunt inventa. Valentinianus nepos Theodosii fit Cæsar et Johannem tyrannum Ravennæ occidit. Dormit beatus Jeronimus anno Theodosii XII. Huc usque Alexander, Sulpitius, Frigidilius protraxere historiam. Hæresis latrat Nestoriana duas prædicans personas, Dei et hominis. Sanctus Eustachius Turoni pontificatur; hic fecit ecclesiam Gervasii et Prothasii.

DE ADVENTU ANGLORUM.

Gens Saxonum Britanniam applicuit cum tribus longis navibus, et tribus generibus hominum, ducibus Horso et Hengisto, quæ gens paganis ritibus adhuc dedita, totam Christianitatem in insula pene per successionem temporum deleverunt, totamque terram vi et dolo obtinentes, Britones Christianos de suis sedibus effugarunt. Applicuerunt vero in Britanniam anno ab incarnatione Domini 442, anno Theodosii imperatoris 15, regnante in Britannia Vortigerno rege Britonum, qui gentem prædictam intra insulam recepit, eisque locus habitationis ad sui suorumque perniciem concessit. Tunc sanctus Germanus Autissiodorensis et sanctus Lupus Trecacensis episcopi Britanniam venere pro

* The words in brackets are omitted in MS. Reg. xiii, A, 12.

hæresi Pelagiana tollenda, et Alleluiah cantantes hostium multitudinem in cæcitatem converterunt. Eudoxia attulit boias sancti Petri ab Jerosolymis. Sedit Sixtus Papa tertius, sub quo Ephesina prima fit Synodus CC patrum contra Nestorium. Huic interfuit Cyrillus patriarcha Alexandrinus, et Archadius Italicus legatus, et Boethius. Sedit Leo Papa tertius homelizator qui tria verba addidit in canone, annis 21, mense 1, diebus 18. Sanctus Martinus ex hoc seculo migravit, anno a passione Domini 413.

VMDCLII. THEODOSIUS IMPERAVIT ANNIS XXVII: FILIUS ARCHADII. HIC FECIT CODICEM.

Chilpericus rex a Francis est electus; qui fuit luxuriosus in matronas et Thoringiæ regem Bissinum petiit. Sublevatur Ægidius Romanus magister militum, sed postquam Chilpericus rediit, Ægidius a parte regni deponitur. Chilpericus Clodoveum genuit. Dormit Ypponæ sanctus Augustinus, post sepultus Sardinæ. Claret Sidonius Alvernensis episcopus. Hunc duo presbyteri arcebant, sed unus ejecturus eum emisit posteriora. Alter, eo mortuo, dum in loco ejus sederet ad cœnam pincerna somnia narrante quia eum Sidonius vocabat ad judicium ante judicem mortuus est. Orti sunt heriani pro mortuis non sacrificantes, et Eraclitæ monachos recipientes et conjugia respuentes, pueros salvos negantes. Synodus Chalcedoniensis celebratur contra Euticen et Dioscorum dicentem male de homine assumpto. Ibi fuit Boethius et 630ta episcopi. Refert autem Anatholius quia excommunicatus fuit Dioscorus, non pro hæresi in fide, sed quia excommunicarat Leonem Papam. Constantinopolitana adhuc se primam sciebat ecclesiam. Sanctus Germanus Autisiodorensis, consecrata sancta Genoveva, obiit Ravennæ; corpus delatum est Autisiodorum. Erant quatuor fratres in Burgundia ex genere Alarici Westegothi ipsam per tetrarchias dividentes, Gundebaldus, Godesilius, Godomarus, Childericus pater Clothildis reginæ, quem Gundebaldus occidit. Caput Baptistæ est inventum a duobus monachis; de ejus inventione multa reperiuntur contraria.

VMDCLVIII. MARCIANUS ET VALENCIANUS IMPERAVERUNT ANNIS VI.

Egyptus latrat errore Dioscori qui cum Eutice dixit Deum post ascensionem unam tantum habere naturam. Sanctus Perpetuus fit Turonis episcopus septimus. Filius imperatoris a Niceio Lugdunensi archidiacono a spiritu immundo sanatur, et ideo pater dimisit tributum ibi, atque calicem cum patena et capsam evangelii Niceio misit. Sed nuntius ea de argento deaurata reddidit. Quo a terra absorpto verus calix redditur. Clodovecus rex iens in expeditionem contra Alaricum regem Gothorum, veniens Thuronum, animatusque per versum psalmi quo dicitur *Percinxisti me virtute ad bellum,* et per cervam in Vicenna pereuntem Alaricum occidit. Hic primus rex Francorum baptizatus est a sanctis Remigio et Vedasto, cum Clothilde regina sua; horum corpora Parisius requiescunt apud sanctam Genovefam. Claret Prosper notarius Leonis Papæ, et exceptor sententiarum Sancti Augustini.

VMDCLXXIIII. LEO IMPERAVIT ANNIS XV. ALTER LEO IMPERAVIT ANNIS II. HIC MUTANTUR IMPERATORES.

Acephalorum hæresis orta est. Claret Merlinus in Britannia, vates non propheta. Sanctus Mamertus Viennensis Archepiscopus rogationes trinas statuit anno Zenonis VIIo et confirmatæ sunt in concilio Aurelianensi. Clodoveum Siagrium filium Egidii sedem habentem Sussonis vicit, et ab Alarico ad quem Tolosæ fugerat, redditum occidit. Clodoveus filium Theodoricum habuit ex concubina qui Thuringos subjugavit. Corpus beati Barnabæ Apostoli ipso revelante est repertum et Bizantem translatum. Clarent pater monachorum sanctus Benedictus abbas et Constantinus medicus. Orti sunt Metagii dicentes filium in patre quasi vas in vase.

VMDCXCIII. ZENO IMPERAVIT ANNIS XX CUM BASILISCO FILIO.

Sanctus Fulgentius Rupensis episcopus claret. Sedit Gelasius Afer qui præfationes 9 dictavit; hic una est addita de beata Maria in concilio Urbani habito Placentiæ. Sedit Anastasius II, qui percussus est a Domino, quia noluit Achacii revocare memoriam. Sedit Simachus qui statuit *Gloria in excelsis*

dici in natalibus sanctorum. Cripta beati Michaelis in Gargano reperta est. † Rex Gothorum Theodoricus præest Italiæ, qui mira artificia fecit Veronæ quum eam expugnasset callide: hic duxit Aldefledam filiam Clodovei. Clodoveus superat Alemannos et Alaricum arrione sexto occidit. Veniens quoque Thuronum beato Martino cum multis donis equum obtulit, quem ante pugnam promisit, sed datis pro eo C solidis movere non potuit, datis vero aliis C, secum reduxit. Clodoveus regnum Germanorum accepit occiso Sigeberto consilio filii sui Cloderici, qui post in archa ubi thesauri patris erant est occisus. Inde Cameracum cum rege accepit. Clotarius filius ejus sedem habuit Suessionis, habens Normanniam et Flandriam; Childebertus Parisius, habens Thuronim et Aquitanniam; Clodomiris Aureliani habens Burgundiam, Theodoricus Remis dominans super gentes quæ ultra Rhenum sunt, et filium Theobertum habuit qui Danos vicit Angliam vastantes sub Guremundo. Gundebaldo quarto Tetrarchæ Sigismundus successit, et hujus filiam Theodoricus Gothus duxit. Sigismundus monasterium Agaunensium ditavit in reditu 15 millium marcarum a castro Chillunt usque Papiam, et juge psallentium instituit DCCCC monachorum, pœnitens pro filio quem consilio novercæ occidit, qui fugiens a Clodomire captus Calauno vico Aurelianensi cum uxore et filiis occiditur, quem Godomarus frater vindicavit. Sigismundus sepultus Agauno claret virtutibus. In illo monasterio mulier pro morte filii plorans, a sancto Mauritio per visum consolata, mortui vocem tota vita sua inter psallentes audivit.

Aliud quoque mirum in Majori Monasterio non inferius de capsula circa hoc tempus actum est. Anastasius imperator deprivatur ab Acacio. Sedet Ormisda annis 20, diebus 17. Hic quum ad imperatorem nuncios direxisset, respondit imperator "Nos jubere volumus, non juberi." Sed per ictum fulminis est extinctus. Claret sanctus Leonardus. Rex Arturius in Britannia regnat, qui a Modredo nepote suo letaliter vulneratus in insulam Avallonis est delatus, cujus sepulcrum tempore

† Scripta beati Michaelis reperta sunt. MS. REG.

Regis Ricardi apud Glastingheberi est repertum, qui locus paludibus olim circumseptus insula Avallonis Britannice, id est pomorum, vocitatus est. Sed quia Britannicæ historia de ejus morte nil certum tradidit, Britones eum adhuc vivere delirant.

VMDCCXX. ANASTASIUS IMPERAVIT ANNIS XXVII.

Ad Justinum imperatorem misit Ormisda Papa Germanum Capuanum episcopum et Johannem et Blandinum presbyteros Cardinales, mandans ut quos Achatius excommunicavit hic revocaret. Sedit Johannes Papa, qui iens ad imperatorem quum jam esset in partibus Corinthi, quidam vir nobilis equum conjugis suæ concessit, ut alium aptum reperiens, illum sibi ad opus conjugis remitteret, sed remissus, nunquam conjugis dignatus est ascensum. Equus Papæ remittitur qui Bizantio cæco lumen reddidit, post Ravennæ a Theodorico peremptus. Boethius et Symachus ab eodem perimuntur Mediolani. Theodoricum Gothum quum quidam solitarius apud Liparim in ollam Vulcani vidit mergi ubi cacabus fervet, hic vulgo dicitur Theodoricus de inferno: simile in pluribus repetitur. Clotharius et Theodorius frater ejus Thoringiam, id est Lothariam, vastant. Clotarius duxit Radegundam filiam Bertarii regis Thoringorum, et post, fratrem ejus occidit, unde et ipsa fit sanctimonialis Pictavi ac post deificata. Clotarius et Childebertus duos filios Clodomiris fratris sui occidunt; tertius factus est presbyter. Sedit Felix papa quartus atavus beati Gregorii Papæ qui fecit ecclesiam sanctorum Cosmæ et Damiani ad clivum Scauri ubi quiescit Romulus, et ideo ibi stationem fecit die qua cantatur *Salus Populi.* Abhinc protrahunt historiam Gregorius Turonensis, Ivo, Freculphus discipulus Bedæ, et Hugo de sancto Victore et omnes posteri.

VMDCCXXVIII. JUSTINIANUS IMPERAVIT ANNIS VIII.

Justinianus de multis gentibus triumphavit, et fecit ecclesiam Constantinopoli quam dixit Agiosophiam, et in ea psallentes DCCCCL decanos, i. e. canonicos, et ne plures addicerentur inhibuit. De hac multa fabulose referuntur, ac quædam

incredibilia. Sedit Agapitus qui Bizantio curavit cæcum et claudum, et statuit ibi Ypapanton celebrari pro mortalitate hominum, quum ante Romæ celebraretur propter amburbala tollenda. De his legitur in fastis Ovidii. Clarent Arator, sanctus Lupus Senonensis, sanctus Cæsarius Arelatensis archiepiscopi, et Aredius fundator locorum sanctorum. Hoc tempore factum est miraculum de vite et uva Senoni et aliud de diabolo coram omnibus cremato, et visibiliter ejecto per beatum Lupum. Theobertus filius Theodorici filii Cleodovæi regnavit. Theobertus et Childebertus patruus ejus volentes occidere Clotarium, precibus beati Martini et Clothildis pro tempestate ingruente pœnituere. Simile factum est Parisius tempore primi Philippi regis Francorum et Hugonis abbatis Cluniacensis. Et hæc fuit causa exaltationis monasterii beati Martini de campis. Childebertus et Clotarius obsidere Cæsaraugustam, et Childebertus inde tunicam beati Vincentii attulit Parisius. Theodbertus Italiam et Siciliam adquisivit. Theodwaldus fuit filius ejus. In dormitorio beati Martini duo angeli ingressi sunt, unus indicem extendebat, alter monachum quem ille ostendit, percussit. Unus solus ex omnibus vigilans evasit. Monachi sericis vestibus induebantur. Mensa Canonica ibi a Baldewino episcopo Thuronensi statuitur. Obiit sanctus Medardus Suessonensis. In Britannia majore occidit pluvia sanguinis tribus diebus continuis. Cadwalladrus rex Britonum ultimus minorem Britanniam adiit. Postea adiens Romam ibidem quiescit. In allatione reliquiarum ejus status Britonum pristinus, ut dicunt, reparabitur. Duravit regnum Britonum a Bruto qui primus in Britannia regnavit usque ad Cadvulladrum IIMLXXVI annis, sub C duobus regibus præter Wallenses et Cornubienses. Angli postmodum regnaverunt CCCLXXVII annis ante adventum Normannorum. Justinianus imperator depravatus per Antimum deportavit Silverium Papam, et legum congeriem in summam coegit. Ex Catholico factus est persequutor pessimus; hujus rogatu Priscianus scripsit de octo partibus, hæreticus ut Justinianus, monoscelita, non ut garriunt Apostata. In Anglia Elle rex Deirorum regnavit; de isto

invenitur in legenda beati Gregorii. Post adventum Guremundi qui [SECUNDUM HISTORIAM BRITONUM] regnum dedit Saxonibus, venit Augustinus in Angliam prædicare verbum Dei genti Anglorum, anno ab incarnatione Domini DXCoVo, anno apostolatus beati Gregorii Papæ quarto, Mauricii Imperatoris XIIIIo, regnante in Cantia Ethelbricto qui filiam regis Francorum Christianam duxerat in uxorem. Eodem tempore occisi sunt mille 200 monachi apud Bengor jubente Etheberto rege, quia noluerunt obedire beato Augustino. Anno XIII Valentis imperatoris IIII gentes Scythiæ transierunt Danubium, scilicet Gothi, Ypogothi, Gippides, Wandali. Ex his surrexerunt regna quæ magnam fidei persequutionem exercuerunt, scilicet regnum Westrogotthorum sub rege Alarico qui Romam cepit, et regnum Estregothorum sub Geiserico qui similiter Romam cepit, et persequutionem in Africa Catholicus intulit, et regnum Wandalorum sub Hunerico rege: Longobardi qui Guimili a Dinavia et Sconanga venientes in Gothland, tempore Justiniani, venerunt in Pannoniam, postmodum vero in Italiam.

[DISTINCTIO REGNORUM ET EPISCOPATUUM ANGLIÆ.]

Regnum Cantiorum fuit in Cantia, in quo duo fuere episcopatus Cantuariensis et Roffensis. Regnum Westsaxonum fuit in Devenessire, Dorsete, Sumersete, Wiltesire, Suthantune, Surreie, Sudsexe, Berchesire. Hic episcopatus V; Cicestrensis, Wintoniensis, Schireburnensis, Crietunum, Wellensis. Regnum Merciorum in Herefordesire, Oxenefordesire, Warwicsire, Wirecestresire, Bukingehamsire, Northamptunesire, Huntendonesire, dimidium Hertfordesire, Solopesbire, Cestresire, Notinghamsire, Stafordesire, Derebisire, Leghecestresire, Lindeseia. Episcopatus IIII; Dorcacensis, qui nunc translatus est in Lincolniensem, Herefordensis, Wigornensis, Coventrensis. Regnum Anglorum in Grantebrige, Norfolc, Sudfolc. Episcopatus I; Norwicensis, et pars Lincolniensis quæ est Heliensis. Regnum Saxonum in Estsexe, Midelsexe, dimidium Hereford. Episcopatus unus Londoniensis. Regnum Northimbrorum ab Humbre ad Scotiam, Episcopatus IIII Eboracensis Dunhilmensis

Carduil. Regnum Britonum in Cornubia et Wallia; diversi tamen Episcopatus V, Meneviensis, Landaff, Bangor, Sancti Asaphi, Sancti Germani. Post varie episcopatus ampliati, restricti, mutati, velut Dorcacester translatus Lincolniam, Heliensis demptus a Lincolnia, Shireburne translatus Salesbire, Wellensis translatus Bathonum, Dorobern. Cantuariæ, Eboracensi subtractus Carduil, non tamen Archiepiscopatui Menevensi demptus archiepiscopatus. Similiter Licheffeld. Sub regibus diversis factæ sunt hæ transmutationes. Anno ab incarnatione Domini 869, sanctus Eadmundus rex Orientalium Anglorum ab Inguar occisus est, post quam regnaverat XVI annis, post cujus occisionem Angli non regnaverunt in illa provincia per L annos, quia provincia paganis subjecta erat, usque ad quintum decimum annum Edwardi filii Eluredi, † qui Orientales Anglos et Saxones sibi subjugavit.

[Inter cætera mirabilia quatuor mira sunt in Anglia: primum quod ventus egreditur a cavernis terræ in monte qui vocatur Pec, tanto vigore ut vestes injectas repellat, et in altum elevet. Secundum est apud Stanhanges ubi lapides miræ magnitudinis et longitudinis in modum portarum elevati sunt, nec aliquis potest cogitare qua arte tanti lapides adeo in altum elevati sunt. De his tamen lapidibus legitur in historia Britonum qua occasione Merlinus vates eos transtulerit de Hibernia in Britanniam. Tertium est apud Chicherhole, † ubi tanta est terræ concavitas subterranea, quod quum multi sæpe ingressi sunt, et ibi spatia magna terræ et flumina pertransierunt nunquam tamen ad finem venire potuerant. Quartum est quod in quibusdam partibus pluvia videtur elevari de montibus, et sine mora per campos diffundi.]

Tempore Brandi filii Bealdog filii Woden, a quo reges Anglorum et Scotorum originem duxerunt, floruit fabulosus Amandus

† King Alfred the Great.

† Cheddar-hole, commonly called Wookey-hole, near Cheddar.

in Augustuduno, quum quælibet urbs regem haberet ante Sicambros, quo tempore Hunoldus et Syagrius, id est Unwinus et Sigrim famosi fuere reguli Burgundiae in Seduno et Tarentasia. Aluredus rex litteratus a Leone Papa primus coronatus terram hidavit, Danos stravit, et regem eorum Guthrum Christianari compulit, datis ei Northanimbris et Anglis; post totam insulam subjugavit. Armillas aureas ad probationem pacis instituit *appendi* * in triviis. Scholam Anglorum ab Offa rege apud Romam statutam renovavit. Omni anno misit C marcas auri beato Petro, et C beato Paulo, et C Domino Papæ, et munera ad sanctum Thomam apud Edessam mittebat, quia eo temporis mos fuit omni nationi munera crebro ibidem mittere. Hic multa volumina in Anglicum transtulit. ‡ Hugo Capet rex Francorum misit regi Ethelstano ensem Constantini, lanceam et clavum Domini, et partem crucis, spinam unam coronæ et vexillum beati Mauricii. Rex Edwi filius Edmundi, qui Glastoniam prædiis et omni libertate ditavit, suam cognatam duxit, sanctum Dunstanum fugavit, monachos destruxit; unde maxima parte regni privatus est. Post hunc regnavit Eadgarus, vir pacificus, in cujus ortu audita est a beato Dunstano vox angelica, hic fuit edificator et restaurator cœnobiorum 15, et factæ sunt abbatiæ Heliensis, Burc, Thorneie, Rames., Abendon., ab Athelwaldo episcopo, et expulsi sunt canonici Wigorniœ et Wintoniæ. Hic rex vicit Walenses, Scotos, Cumbros, piratas Danos. Cadewalle rex Walliæ reddebat Edgaro regi pro tributo annuo 300tos lupos, quarto vero anno nullus est inventus. Tumulum regis Edgari Eilwardus Abbas effodiens et corpus integrum reperiens vestes abscidit; sanguis emicuit, et abbas insanivit; sanatus est ibi furiosus et cæcus. In Synodo Wintonensi sub sancto

* This word has been omitted by the copyist, but is supplied from the Royal MS.

‡ The works of king Alfred are advertised for publication by a Committee formed for the purpose at the Alfred Jubilee Festival held at Wantage Oct. 25, 1849.

Dunstano iconia loquuta est, et miraculum de trabe apud Calne tunc factum est.

JUSTINIANUS IMPERAVIT ANNIS 39.

Sigebertus Clotharii filius Brunichildem filiam Athanaldi Gothi regis Hispanorum duxit, et Chilpericus frater ejus sororem ejus Galsiuncam, quam post hortatu Fridegundæ suggillavit. Liquit quoque Audomeram de qua habuit Clodoveum, Teodbertum, Merovetum, et duxit Fridegundem, cujus factione rediens a venatu, quia comperit eam cum Lanfredo fornicatam, exceptus ab equo duobus cultris perimitur. Ejus filius Clodoveus invasit terram Sigeberti, et fit major persequutio quam tempore Diocletiani et Justiniani. Claret sanctus Gregorius Archiepiscopus Turonensis historiographus. Iste staturæ pusillus mirantibus cunctis papa .s. quod pro parvitate præsulatus est; ait, "Deus ipse fecit nos et non ipsi nos." Chilpericus Brunichildem Rothomago et filios Meleduni trusit in carcerem, et Merovetum ab ea separatum filium suum occidit. Beatus Ursicinus vitibus tectus a sancto Germano Parisiensi episcopo repertus in ecclesiam Bituricensem transfertur. Obiit idem Germanus.

Claret sanctus Austregisilus Bituricensis episcopus. Sedit Pelagius II annis, V mensibus, diebus X, LX quintus papa.

VMDCCLXXX. JUSTINUS IMPERAVIT ANNIS XIII.

Armenia, in qua est Catholicon habens 400 sub se Archiepiscopos, ad fidem convertitur. Hic Catholicon semper stando dextra genu attingit, nec alter similis reperitur sub sole, et habet sub sua potestate 400 Archiepiscopos.*

---

* In the margin of the MS. is what follows:

"In Armenia minore est quoddam castellum inexpugnabile quod dicitur Horoncala, et situm est super Euphraten. In hoc castello habitat Catholicus qui est quasi Papa utriusque Armeniæ, quæ Christianis legibus sunt insignitæ, et habet sub se CCCC Archiepiscopos atque mille episcopos et CCtos. Omnes enim episcopi totius Asiæ ei subjecti sunt, excepto patriarcha Antiocheno et Jerosolimitano et eorum suffraganeis. Primus Catholicus, quasi vir giganteus, dextera manu stans erectus genua sua tangebat. Quo defuncto de ejus genere habuit successorem, quod usque

Longobardi Italiam capiunt. Hermegildus rex a patre Arriano in Paschali solemnitate in carcere occiditur, eo quod noluerit communicari ab Arrianis episcopis. Claret Leander Hyspalensis episcopus. Clodoveus filius Chilperici a patre occiditur et Guntrannus fit rex. Guntrunus rex fessus venatu quum se juxta ripam sopori dedisset, animal ex ejus ore exiens transitum quærebat. Quod videns armiger, cujus gremio acclivis pausabat, gladio suo ei pontem fecit, nec multo post rediens in os somnientis ingressum est. Guntrunus evigilans dixit se somniasse thesauros multos in colle proximo reconditos, quos reperiens ibidem in usus ecclesiarum consumpsit. Obiit Chilperius.

VMDCCLXXXVII. TIBERIUS IMPERAVIT ANNIS VII.

Mauricius imperator, cujus anno nono statuta est a beato Gregorio major Letania, duxit filiam Tiberii, ipse Capodocius. Obiere sanctus Sulpicius Bituricensis archiepiscopus et Aredius in pago Alvernensi, clamante dæmonio, "Currite, cives, exilite, populi, obviam martyribus et confessoribus," statimque dæmoniacus sanatus est. Clotharius filius Chilperici factus monachus, Brunichildem equis discerptam fecit comburi, hortatu beati Audoeni dicentis de Fridegunda tibi subveniat. Claret sanctus Romanus Rothomagensis Archiepiscopus. Sedit Gregorius Romæ annis 13, mensibus 6, diebus 10: hic usum ecclesiæ

---

hodie observatur. Nam catholico defuncto, Armenici episcopi tres eligunt de illius genere, quorum nomina in chartis scribentes ponunt nomina super altare inter corporalia et pallam altaris. Deinde ecclesiam observantes et ostia sigillantes, jejunia et orationes per universas provincias indicunt. Tandem die septima reseratis ostiis ad altare accedunt, secum deferentes parvulum trinum, et cujus nomen infans ab altari primo sustulerit, hic sine aliqua contradictione omnium pariter assensu catholicus constituitur. Utitur semper auro textis indumentis lapidibus pretiosis undique insertis. Pallium vero suum a Romano pontifice accipere consuevit, quod ei per cardinalem Romanæ sedis transmittere curat. Armenia vero minor habet in longitudinem XXVIII diurnas, silicet ab Anthalia usque Horoncala, ubi catholicon sedet. In latitudine habet XIII diurnas, scilicet a castello Pacavaz prope Antiochiam usque ad Cæsaream magnam Cappadociæ ubi magnus requiescit Basilius."

derudivit, fecit stationes, homelias, antiphonarium *pater noster* ad missam, et clausulam *diesque nostros* et cætera, et alleluiah in natalibus martyrum dici statuit. Misit Augustinum cum aliis prædicatoribus in Britanniam anno apostolatus sui quarto. Castrum et monasterium Cassinum discerpitur. Mauritius, quærente angelo utrum mallet delicta sua in hac vita expiare an in alia, elegit in ista, unde a satellite suo occisus est, cum uxore et filiis in silva; quum præscito nomine occisoris sui potuisset eum occidere si vellet. In somnis enim dictum est illi delato ante imaginem salvatoris quæ est super orientalem portam æneam Constantinopoli, "Date eum Phocæ." Hic Phoeas obscuri nominis sub eo militabat.

In suburbio Bizantii natus est iufans quadrupes, duos habens vertices, et in medio Nili circa horam nonam apparuere usque undecimam puer subrufus in forma canis, et puella crinita usque ad umbilicum super aquam. Imperavit Mauricius anno ab incarnatione Domini DLXXXIIo. Inundante Pado, et cacumina urbium transcendente beatus Zeno suis imploratoribus inauditi beneficii contulit munus. In ejus enim ecclesia foribus apertis gutta aquæ non introivit sed haurientibus in ostio ecclesiæ aquam inclusis, ad cætera habilis cursu præstit immobilis.

VMDCCCVIII. MAURICIUS IMPERAVIT ANNIS 21; ROMANUS GENERE.

Sedit Bonefacius quartus a beato Gregorio, cui Phocas Pantheon dedit, hæc est ecclesia sanctæ Mariæ ad martyres. Romani a Persis cæduntur. Phocas statuit sedem Apostolicam esse capu t omnium ecclesiarum, nam ante Constantinopolitana se primam scribebat. Unde multa inveniuntur in canonem. Heraclius Patricius Phocam occidit.

VMDCCCXVI. PHOCAS IMPERAVIT ANNIS 8.

Heraclius Cosdroe cum filio regnum Persarum et vitam abstulit, lignumque Dominicum Hierosolymam restituit. Depravatus est a Cyro Alexandrino et Sergio Constantinopolitano episcopis in hæresim monoscelitarum dicentem in Christo unam tantum voluntatem fuisse. Duxit quoque Heraclius filiam

sororis. Hujus tempore Mahimetus pseudo-propheta epilepticus de genere Ismael seduxit reginam Arabum et duxit. Dixitque se esse missum a Deo ut legem Dei mentibus hominum insereret, quam sibi a Gabriele allatam de cœlo mentitus est. Statuitque circumcisionem fieri debere anno nativitatis 14o. Processu vero temporis quum sæpius elideretur ad terram, uxori causam quærenti, ait se non posse sustinere lumen Gabrielis sibi legem et velle Dei nunciantis. Peritus fuit utriusque testamenti, et edidit Alchoram, id est collectaneum præceptorum, sicut instructus erat a quodam Judæo, et a Sergio monacho apostata Nestorianæ hæresis, ut Judæis atque Christianis de lege sua suscipienda facilius persuaderet, quia ex utraque lege quædam ceremonia in lege sua apposuit. Unde de Moyse et de Domino Jesu Christo mentionem facit dicens, Dominum Jesum fore filium Dei maximumque omnium prophetarum, sed non ipsum fore Deum, vel patri æqualem, utpote trinitatem abnegans, et omnes articulos fidei catholicæ et ecclesiastica sacramenta perversa interpretatione confundens. Quæ hæresis diaboli machinatione concepta, et per hunc diaboli satellitem disseminata, multis jam annis fere totam Asiam ac totam Africam cum magna parte Hispaniæ infecit, major ac diuturnior cæteris hæresibus existens. Heraclii siquidem tempore languescente Romano imperio Arabum surrexit principatus qui hac peste per Mahumetum regem de Mecha infecti erant; qui sicut imperii dominium dilataverunt, ita et hunc errorem in subditos transfuderunt. Clarent beatus Isidorus Hispalensis et sanctus Audoenus Rothomagenis episcopi.

In Hispania Judæi inviti Christianantur sub rege Dagoberto.

Heraclius vidit in astris regnum suum a circumcisis vastandum, et mandavit Dagoberto regi ut Judæos in Francia Christianari compelleret. Quod et factum est. Saraceni autem circumcisi illud vastaverunt, et C millia Christianorum occiderunt. De exercitu etiam Herachii 52 millia apertis portis Caspiis in lectis mortua inventa sunt. Quo dolore Heraclius amens factus incidit in lectum doloris et mortuus est.

[Hujus Heraclii tempore claruit Johannes patriarcha Alexandrinus, qui fuit et eleemosynator. Sedit et Modestus Jerosolimorum patriarcha.]

Clotarius rex Dagobertum filium suum fecit regem Austriæ. Dagobertus vicit Saxones. Hic ditavit ecclesiam beati Dionysii. Anno Heraclii 20o fundata est abbatia de Abenduna a Cissa et Cadwalla, sed postmodum destructa ab Ethelwaldo episcopo est restaurata.

VMDCCCXLIIII. HERACLIUS IMPERAVIT ANNIS 28.

Senatus Heraclonæ et matri suæ Mortinæ nasum et linguam abscidunt, qui imperavit cum matre duobus annis post Heraclium. Post quem imperavit Constantinus filius Heraclii anno uno. Dagobertus rex, judex severus, primus censum de fisco palatii ecclesiis dari jussit. Constans imperator fit monoscelitus suadente Paulo Bizanzeno patriarcha. Constans discooperuit Pantheon tegulis æreis et misit Byzantium, et post a suis est interfectus. Sedit Vitalianus qui misit Theodorum archiepiscopum Cantuariam. Hic Theodorus fecit pœnitentialem librum, et misit Adrianum abbatem. Puer quidam Cantuariensis dum a magistro verberaretur, invocavit beatum Adrianum, et statim manus verberantis diriguit.

VMDCCCLXXIII. CONSTANS IMPERAVIT ANNIS XXVI, FILIUS CONSTANTINI.

Constantinus imperator fuit Catholicus, et restaurator ecclesiarum et contra monoscelitas septimam synodum Constantinopolitanam congregavit. In ea est Macharius Patriarcha Constantinopolitanus damnatus. Huic interfuit Agatho papa qui et aliud concilium congregavit contra præfatam hæresim, cui interfuit beatus Wilfridus Eboracensis archiepiscopus. Ante hoc tempus in electione Romani pontificis dabantur munera consuetudinaria, sed eorum absolutionem impetravit Agatho. Cnuto quoque rex Danus idem in Anglia archiepiscopis impetravit pro pallio. Corpora sancti Benedicti et sanctæ Scolasticæ translata sunt in Gallias. Aliter tamen Alexander tertius super hoc sentiebat. Mortalitas maxima Romæ invaluit, et Ticino, quæ est Papia.

Ticino duo Angeli apparuere incedentes per urbem, unus bonus, alter malus. Malus jussu boni quum venabulo domum aliquam percussisset, tot inde efferebantur mortui, quotiensque domum percussisset. Nec cessavit mortalitas donec reliquiæ beati Sebastiani illuc ab urbe Roma translatæ sunt. Hoc tempore iconia Salvatoris in Bencho vel verata sanguinem fudit, quo Judæorum infirmis sanatis sub Deodato episcopo Christianati sunt omnes in urbe illa. Est autem civitas illa 15o milliario a Sidone de principatu et patriarchatu Antiochiæ.

VMDCCCLXXXIX. CONSTANTINUS IMPERAVIT ANNIS 16, FILIUS CONSTANTIS.

Sedit Conon mensibus XIcim, diebus IX. Hic deposuit Archidiaconum cum successoribus Romanæ ecclesiæ, quum ante hoc tempus omnia exteriora administraret Archidiaconus. Sedit Sergius Syrus qui statuit dici *agnus Dei* ad missam, et portionem crucis reperit. Clodovæus filius Dagoberti qui brachium beati Dionysii abscidit tres successores habuit ex Batilda, Clotharium, Theodoricum, Chilpericum. Mortuo Clotario successit Theodoricus, sed eo pulso a regno Hebroinus præfectus palatii in monasterio Luxovio est retrusus. Chilpericus rex factus a Bobino quem cædi ad stipitem jussit, occiditur. Revocatur Theodoricus et Hebroinus qui consilium a beato Audoeno audiens de Fridegunda tibi subveniat, omnes insidiatores suos, et beatum Leodegarum Eduensem episcopum occidit, et Gerinum fratrem ejus dira morte damnavit. Quo ab Hermefrando occiso Pepinus vetulus cognatus Martini præfecti prius ab Hebroino fugatus, sub regibus regnavit in Galliis, qui Pipinus genuit Karlum Martel ex concubina.

VMDCCCC. JUSTINIANUS IMPERAVIT ANNIS X.

Arabes Africam infestant. Justinianus imperator relegatur Cersonæ a Leontio Patricio. Post quem imperavit Leonticus tribus annis; post ea relegatus in exilium. Post quem Tiberius imperavit VII annis. Post quem Justinianus revocatus ab exilio imperavit VI annis.

VMDCCCCXVI. Post quem Philippicus imperavit mensibus

XIX, qui fuit hæreticus, et Justinianum occidit et Cyrum Constantinopolitanum Patriarcham deportavit. Philippicum Anastasius imperator vir Catholicus oculis privavit. Karlus Cudis præfectus palatii duo prælia fecit maxima, unum juxta Pictavum, alterum juxta Narbonam contra Saracenos, et subjugavit sibi Alemannos, Suevos, Baugarios, Frisones, Burgundiones, Narbonam, Neumasem, Agathen, et ei Gregorius secundus claves et vincula beati Petri misit. Vicit quoque et ejecit Girardum et cæteros tyrannos in Francia et Austria. Dedit autem Carolomanno filio suo Austriam et Thoringiam; Pipino Burgundiam, Neustriam provinciam, et clericis decimas abstulit ut militibus stipendia procuraret qui rempublicam defensarent, et adhuc quidem ex illa institutione plures ecclesiæ in transmarinis decimis privantur. In ejus sepulcro pro corpore serpens magnus est inventus, et hoc quidem physicum est, licet quidam in deteriorem partem id interpretentur. Rex Luthbrandus fecit Papiæ aureum cœlum, et transtulit illuc Boetium et Augustinum. In sepulcro beati Augustini, quum aperiretur, inventus est serpens super pectus ejus, super quo quum omnes mirarentur, repertus est et tomus in sepulcro in quo hic versiculus scriptus erat,

Quem tegit hæc tumba, serpens fuit atque columba.

Africanus quidam Romam profectus moralia Job comparaturus dum se in ecclesia beati Petri ad orationem prosterneret, factus in extasi vidit vultus angelici viros pontificalibus insignitos, plures coram se transeuntes. Hispanus a primo quinam sint sciscitatur, respondit summos pontifices fuisse, se quoque Gregorium fuisse cujus scripta quærebat. Quærit item peregrinus, "Ubi est pater noster Augustinus?" At ille, "Inter cherubin" inquit "et Seraphin. Solis enim illis cognita de divinitate deifica. Solus Augustinus comprehendit arcana." Anastasius imperator presbyteratur. In Italia, Tuscia, Apulia, laici possident decimas. Carlus monasterium Agaunensium subvertit.

VMDCCCCXX. ANASTASIUS IMPERAVIT ANNIS III, MENSIBUS VI.

Post Anastasium imperavit Theodosius anno uno. Pipinus

et Carolomannus præfecti Galliarum Baioariam et Saxoniam subjugavere, et post Carolomannus Romæ in monte Soractæ constructo ibi monasterio fit monachus. Leo imperator destruxit sanctas imagines. Contra hanc superstitionem scripsit beatus Gregorius. Post Theodoricum regnavit Clodoveus filius ejus, post Childerbertus frater junior, post Dagobertus filius ejus. Tunc defecit regale genus a Prudentia. Post hunc Daniel clericus frater ejus insipiens, qui Childericus dictus est. Post, Theodoricus propinquus ejus; post, Childericus frater Theodorici ob ignaviam depositus et detonsus. Hi sunt ergo reges Francorum ex prima prosapia descendentes per filios. Post hos per muliebrem lineam reparatum est genus regium hoc modo. Ansbertus senator genuit ex Blithilde sorore Dagoberti primi Arnaldum. Arnaldus genuit sanctum Arnulfum episcopum Methensem; Arnulfus ex filia Pipini præfecti Dagoberti genuit Frodulfum patrem Martini quem occidit Hebroinus, et Galchisum patrem sancti Wandregisili et Ansegisilum patrem Pipini vetuli. Hi sunt reges Francorum descendentes per muliebrem lineam. Pepinus tertius, Karolomannus, Karolus, Pepinus, Lodovicus, Karolus, Lodovicus, Karolus, Radulphus, Lodovicus, Lotharius. Gens Meroingorum, de qua Franci sibi reges creare soliti erant, usque ad Childericum regem duravit, qui justa sententia Stephani Papæ a regno depositus et detonsus in monasterium trusus est, quia nullius vigoris aut potentiæ erat, nec quid in se clarum proferebat præter inane regis vocabulum. Nam et opes et regni potentia penes præfectos palatii tenebatur, nec regi quid linquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio residens speciem dominantis fingeret, legatos undecumque venientes audiret responsa quæ doctus vel jussus velut ex sua potestate redderet legatis abeuntibus, quum nil possideret nisi parvi reditus unam villam in qua domum et famulos paucæ numerositatis habebat. Quocumque eundum erat carpento ibat, quod bubus junctis et bubulco rustico more agente trahebatur, sic ad palatium, sic ad publicum populi conventum ibat. At regni administrationem præfectus

aulæ procurabat. Quo officio quum Childericus deponeretur, Pipinus brevis jure hæreditario fungebatur, et rex jubente Zacharia Papa constituitur, annis XVI. In Anglia Ine regnavit. Claret Bonifacius Magontinus archiepiscopus et martyr, qui Pepinum inunxit.

VDCCCCXXIIII. LEO IMPERAVIT ANNIS TRIBUS.

Constantinus imperator persequutor fuit ecclesiæ, maleficus, luxuriosus, lapidator. Constantino patriarcha, rasa barba et superciliis, super asinum ore ad caudam verso per Bizantium ducto, amputatum caput ejus muro suspendit. Stephanus Papa venit ad Pepinum rogans adjutorium contra Hastulfum regem Longobardorum, et Carolomannus similiter venit ut iter fratris impediret rogatu Hastulfi, et post obiit Viennæ in reditu. Facto solemniter generali conventu Stephanus Papa successionis duos filios Pepini Carolum magnum, et Carolomannum in reges inunxit; Carolum in ea parte quam fratre vivente pater tenuerat, Carolomannum in parte patrui. Pepinus apud Clusas Hastulfum vicit, et XL obsidibus datis ab Hastulfo, papa Romam, Pepinus rediit in Gallias. Iterum Pepinus Papiæ Hastulfum obsedit, et tradita ab Hastulfo Ravenna et Pentapoli, volens tertio rebellare, in venatu divino judicio obiit Hastulfus. Constantinus imperator misit Pepino organum cum aliis donis plurimis.

VMDCCCCLVII. CONSTANTINUS LEONIS FILIUS IMPERAVIT ANNIS XXXIII.

Carolomannus frater Caroli post biennium decessit. Carolus magnus, ille famosus, de quo tam præclara gesta habentur, fit monarcha. Omnium bellorum quæ gessit primum fuit Aquitanicum, a patre Pepino inchoatum, sed nondum finitum, quod quia cito peragi posse videbatur fratre vivo suscepit, nec prius cedere voluit quam Hunoldum, qui post mortem Waifarii Aquitaniam occuparat, eam linquere et Vasconiam petere coegisset. Lupo etiam Vasconum duci mandat ut per fugam reddat, quod nisi festinato faciat, bello se eum pulsurum. Lupus Hunoldum reddidit, et se ipsum cum provincia cui præerat ejus potestati commisit. Compositis rebus in Aquitania, et regni

socio humanis rebus exempto, precibus Papæ Adriani, bellum contra Longobardos suscepit, et Desiderium regem eorum et Adelgisum filium ejus ab Italia recedere, et Romanis erepta restituere coegit, et Hortgausum ducem foro Juliani ejecit, et Pepinum filium suum regem Italiæ præfecit. Post hæc Saxonicum bellum, quod quasi intermissum videbatur, rursus inchoatum XXXIIo anno finitum est. Cum Saxonibus bello certato, Hispaniam aggreditur, saltuque Pyrenei superato, castellis et urbibus in deditionem acceptis salvo exercitu regreditur, præter quod in ipso Pyrenei jugo Vasconiam perfidiam in reditu est expertus. Nam quum agmine longo ut loci et angustiarum situs permittebat porrectus iret exercitus, Vascones in montis vertice positis insidiis, novissimos desuper incursantes, in unam vallem quæ dicitur Roncevaus dejiciunt, et conserto cum eis prælio usque ad unum omnes interficiunt, et post in diversa projecti noctis instantis beneficio cum summa celeritate sunt dispersi. In hoc prælio Eggardus regiæ mensæ præpositus, Anselmus comes palatii, atque Rothlandus Britannici littoris præpositus cum Olivero comite occubuerunt. Sed Carolus hoc factum ad præsens vindicare non potuit, quia hostis ita dispersus est, ut nec fama quidem maneret, ubinam gentium quæri potuisset. Domuit et ter Britones, ipse post per Italiam et Romam iter faciens, Capuam et Beneventum in deditionem accepit. Baioarium dehinc bellum celeri fine est completum, capto Cassilone et Theodone filio, et provincia comitibus ad regendum data. Post hæc Sclavis bellum est illatum, maximum omnium fuit illud quod contra Hunos est susceptum. Ultimum bellum contra Danos et Normannos, quorum dux Gothofridus, hic est pater Eggeri, quumque tempore patris non amplius quam ea pars Galliæ quæ inter Renum et Ligerim, et oceanum et mare Balearicum jacet, et pars Germaniæ quæ inter Saxoniam et Danubium, et Renum fluvios, et Saiam et Thoringas et Garrobos dividit posita, qui Orientales dicuntur incolitur, et præter hæc Alemanni Baioarii ad potestatem Francorum pertinerent. Carolus Aquitaniam, Vasconiam, totum Pyrenei jugum montis, et

usque ad Hiberum amnem, qui Navarros hortus et agros Hispaniæ secans sub deserto se civitatis muros Balearico influit mari, post Italiam totamque ab Augusta prætoria Calabriam inferiorem in qua Beneventorum et Græcorum constat esse confinia, decies C et eo amplius passuum milibus longitudine porrigitur. Tum Saxonia quæ Germaniæ pars est, et ejus quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, quum ei longitudine possit esse consimilis. Post quam utramque Pannoniam, et positam in altera Danubii ripa Daciam, Histriam, Liburniam, Dalmatiam, omnes barbaras nationes, quæ inter Renum et oceanum et Danubium positæ sunt, fecit tributarias, scilicet Veletabos, Sorabos, Abodritos, Boemanos, cæterasque quarum multo major numerus est in deditionem accepit. Auxit præterea regni gloriam quibusdam regibus, ut Asturiciæ et Galliciæ Scotiæ per amicitiam sibi concilians, et Aaron rege Persarum totum pene orientem tenente, excepta India, qui ei quem tunc unicum habuit misit elephantem, et locum sepulcri Dominici ut ejus potestati ascriberetur promisit. Multa fecit palatia, et XII monasteria, et pontem ligneum trans Renum D passuum Magontio. Erat in amicitiis optime temperatus, ut eas facile admitteret, et constantissime retineret. In peregrinis suscipiendis ita officiosus, ut multitudo eorum, non solum palatio, sed et regno videretur onerosa. Peritus in grammatica, rhetorica, dialectica, astrologia, compoto, Ecclesiam mane et vespere ingrediebatur valde monens ne quid in ea indecens linquerent æditui. Clericos et ultimi ordinis privato habitu ministrare non permisit. Semper gladio accinctus erat. Nunciato obitu Adriani Papæ flevit ac si patrem amisisset. Uxores tres habuit; primo filiam Desiderii regis, post Hudegardam matrem Ludovici K. P. Hortrudis Berte Gillæ, post habuit Fastradam matrem Theodori Hyltrudis. Ex concubinis tres habuit filios; filias lanificio assuescere fecit, ne otio torperent. Absque filiis et filiabus nunquam cœnabat domi positus. Adequitabant ei filii, et filiæ pone sequebantur. Unam solam copulavit.

Sedit Leo IIIIus qui statuit ne quid a veniente ad synodum

exigeretur. Iste electionem summi pontificis concessit imperatori.

VMDCCCCLXII. LEO IMPERAVIT ANNIS VI.

Aaron Rex Persarum misit Carolo horologium ex aurichalco arte mechanica compositum, in quo XII horarum cursus ad clepsydram vertebantur, cum totidem æriis pullulis quæ ad completionem horarum decidebant, et casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant; additis in eo totidem equitibus qui per totidem fenestras, horis expletis, exibant, et impulsu egressionis totidem fenestras aperiebant. Carolus circa pauperes sustentandos devotissimus non solum in patria sed etiam in Syria, Egypto, Africa, Jerosolimis, Alexandria, Carthagine pecuniam mittebat. Ultimi adventus ejus Romam fuit causa quod Paschalis primicerius Leoni Papæ lingua amputata oculos eruit. Sed Deus visum Papæ reddidit. Quo tempore Carolus imperatoris et Augusti in templo beati Petri nomen accepit, quum ante Patricius diceretur, et acclamatum est ab omni populo, "Magno et pacifico imperatori vita et victoria!" Claret beatus Egidius cui divinitus revelatum est peccatum Caroli quod sancto confiteri erubuerat.

VMDCCCCLXXX. CONSTANTINUS IMPERAVIT X ANNIS, CUM MATRE EYRENE.

His Archiepiscopatibus præfuit Dominus Carolus, Romæ, Ravennæ, Gradui, foro Juliani, Mediolano, Coloniæ, Magontio, Aquileiæ, Saltburgo, Treveri, Senoni, Verontio, Lugduno, Burdegalæ, Bituricæ, Rothomago, Remi, Arelatæ, Viennæ, Tarentesiæ, Ebreduno, Thuroni, Aquisgrani, Aox, Narbonæ, Aix. Carolus unicuique XXVI episcopatuum qui sub jure ejus erant, et unicuique suffraganeorum suorum pecuniam legavit. Habuit tres tabulas argenteas, et unam auream. Tertiam partem pecuniarum integram servavit infirmans ad usum quotidianum, ac post, ipso jubente, ipsa tertia pars in quatuor scissa est. Prima pars addita est superiori, secunda filiis et filiabus, tertia pauperibus, quarta servientibus. Decessit V Kal. Februarii anno vitæ suæ LXXIIo, quum in Galliis regnasset annis XLVI, in Italia XXXVIII, Imperator et Patricius, anno ab

incarnatione Domini DCCCXIIIIo. In Carolo imperium Francorum inchoavit.

VMIXI. CAROLUS IMPERAVIT ANNIS XXXVIII.

Ludovicus IIII filios habuit; Lotharium Italiæ, Lodovicum Germaniæ, Pepinum Aquitaniæ, Carolum præfecit Galliæ. Paschalis Papa die Paschæ Romæ in ecclesia beati Petri coronavit Lotharium. Ludovicus vir clementissimæ naturæ juxta suorum lenitatem morum rempublicam regere disponens nonnullas aliquamdiu tam a liberis quam a regni tyrannis difficultates patiebatur. Nam et annuente Papa Gregorio IV, captum eum Lotharius in monasterio sancti Medardi custodiri mandavit, sed cunctis tandem pessundatis controversiis et Lothario conciliato religiose vivere et consulte imperium regere sategit. Omnibus piis in constructione vel reparatione locorum sanctorum adjutor fuit et Carrofensem locum restauravit. Sedit Nicholaus annis IX qui Lotharium regem pro adulterio excommunicavit et Agrippinum et Treverensem Archiepiscopos deposuit. De isto Lothario frequenter in Decretis legitur. Sanctus Hypolitus et Tiburcius qui super prunas incessit apud sanctum Dionisum sunt translati. Clarent Rabanus, Alcuinus, Helpericus et Theodulphus episcopus Aurelianensis, et abbas Floriacensis a Ludovico deportatus Andegavi. Hic fecit *gloria, laus.* Unde post revocatur a Ludovico die Palmarum.

VIMXXXVI. LUDOVICUS PIUS IMPERAVIT ANNIS XXVI.

Post extrema Ludovici tres filii ejus pro regno fratris Pepini decertavere. Ibi mutuis vulneribus omnis fere militia Italiæ, Germaniæ, Franciæ, Burgundiæ, Aquitaniæ occidit. Lotharius primo impetu victor, post a Warino Tholosano fugatus, ductus pœnitentia monasterio se contulit. Lodovico post cito decedente Carolus calvus frater eorum fit a Johanne Papa Imperator et monarcha. Fundatum est Vizeliacense cœnobium a Girardo de Russilim. Aluredus rex Anglorum coronatur a Leone Vo. Danorum partem Angliam infestantem ad fidem convertit. Cæteri Dani sub Astengo duce Gallias annis XIII infestantes, beati Martini canonicos Autisiodorum transire compellunt. Sed

Dani ab Hernulfo duce in patriam redire compulsi sunt. Tunc beati Martini corpus in ecclesia sancti Germani locatum per innumera signa populos diversarum regionum ad sui veneratione excitabat. Quumque inter clericos Autisiodorenses et Turonenses pro partitione oblationum lis oriretur, indigenis asserentibus beatum Germanum non disparem fore beato Martino nec merito nec officio, pro quo Deus hæc signa operaretur, ad laxandum dubietatis nodum, ponitur inter duorum sanctorum corpora leprosus fere permortuus, qui postera die apparuit a parte beati Martini sanus et splendidus, a parte vero Germani solita deformitate luridus, et, ne darent eventui miraculum, obvertunt Martino latus morbidum. Qui leprosus cute totus integer et incolumis aurora illucescente repertus est.

VIMLXXIIII. CAROLUS CALVUS IMPERAVIT ANNIS XXXVIII.

Regnum Francorum a status sui corruit celsitudine ab incarnatione Domini anno DCCCo et LXXIXo. Lodovicus namque filius Caroli calvi solum regnum obtinuit Francorum. Floruerat imperium Francorum C duobus annis. Tunc Baiaorum surrexit regnum, apud quos hactenus imperium constat Romanorum. Primus imperavit Berengarius, post Lotharius, post Berengarius, post tres Othones sed Otho primus coronatus est in Roma. Post Conradus, post duo Henrici, post Lotharius, post Henricus, post Conradus, post Fredericus XCVIIIus Romanus imperator, secundum strictiorem vero computationem XCIIIus qui in Asiatica expeditione aquis suffocatus est tempore Ricardi regis Anglorum. Post hunc imperavit Henricus filius ejus, post cujus mortem facta est discordia inter Alemannos pro electione imperatoris, dum quidam eligerent ducem Suaviæ fratrem imperatoris, alii vero eligerent et in regem inungerent Othonem filium Henrici ducis Saxoniæ, ac nepotem regis Ricardi. Fredericus imperator in crastino suæ consecrationis capere noluit Adrianum Papam. Tempore Caroli Capet sedit Leo VIIIus. Iste Leo conciliato sibi Constantinopolitano imperatore per Petrum Amalsitus archiepiscopum et Hubertum Silvæ Candidæ episcopum ecclesias Græcorum clausit, et Michaelem patriarcham Constantinopoli-

tanum a gratia et palatio Imperatoris amotum anathematizavit pro immolatione fermenti. Sedit Leo IXus, qui L canones apostolorum suscepit. Tempore Henrici imperatoris sedit Alexander IIus, qui plus omnibus infestus erat presbyteris focariis. Iste etiam noluit festum de trinitate magis quam de uuitate admittere. Sub Conrado sedit Lucius IIus qui voluit ecclesiam Orientalem et occidentalem una lege includere. Sub Frederico sedere Adrianus IIIus annis IIII, mensibus VIII, diebus XXIX: Alexander IIIus annis XXIII, sub quo synodi Laterana et Thuronensis; Lucius IIIus annis IIII, mensibus III; Urbanus IIIus anno I, mensibus X, diebus XXX; Gregorius VIIIus mensibus II; post hunc Clemens IIIus, post quem Celestinus, qui Henricum filium Frederici consecravit. Post quem Innocentius.

VIMLXXVI. LODOVICUS REGNAVIT ANNIS II.

Edwardus filius Aluredi dedit Carolo filio Lodovici Balbi qui Normannos, tunc Saracenos vicit, sed expellere non potuit, Eduinam filiam suam. Rollo gentilis ex Noricorum prosapia ortus Normannos secum adduxit, qui omnia regna inquietaverunt ab oceano Britannico usque ad Tyrrenum mare. A Carnoto vero fugatus est, visa camesia sanctæ Mariæ, quam, cum particula crucis et clavo, Carolus Calvus detulit a Byzantio. Huic Rolloni rex Carolus pro bono pacis concessit Normanniam, atque baptizato deditur Britannia cum Gisla filia, quæ sine liberis decessit. Sed dux non est dignatus osculari pedes ejus, nisi rex assurgeret ad os suum osculandum. Hæc est causa quare Willielmus Bastardus jus hæreditarium ducatus Britanniæ minoris sibi competere dicebat. Franci contra Carolum Capet conjurantes eum de regno expellunt, et Odonem ducem Aquitaniæ faciunt regem, cui filius Arnulfus successit. Eo tempore cruentæ acies in cœlo apparuere, ad præsagium excidii patriæ et regni. Carolus rediens iterum expellitur, duce Roberto subrogato, montis Desiderii dicto principe, qui fuit filius Ricardi ducis Burgundiæ. Quem accito ab Othone auxilio Carolus occidit, et Hugoni magno filio Roberti ducatu concesso, regnum recepit. Sed capto iterum Carolo Simplici qui Capet vocabatur, ab

Hereberto comite Virmadensi, Rodulfus filius Ricardi ducis Burgundiæ ungitur in regem, frater Roberti principis montis Desiderii, qui regnavit annis XV. Quo defuncto Ludovicus filius Caroli Simplicis inungitur in regem, consilio et auxilio Hugonis Magni filii Roberti comitis, qui fuit filius Roberti comitis Andegavorum, qui extitit Saxonicus genere. Hic regnavit annis XIX. Defuncto Lodovico Lotharius filius ejus successit, et Hugo Magnus factus est dux Francorum.

Iste Lotharius dedit Othoni imperatori Lotharium regnum contra voluntatem totius exercitus sui. Quo defuncto postquam regnaverat annis XXXI, successit Lodovicus filius ejus. Quo mortuo Carolus frater ejus successit. Contra quem Hugo dux Francorum filius Hugonis Magni rebellavit, et captum in turrim Aurelianis retrusit. Hic puer duxit Blanchiam, et defecit familia, et progenies Caroli Magni—hic regnavit dimidio anno. Eodem anno unctus est in regem Hugo, dux Francorum, prædicandæ fidei et virtutis juvenis. Hic Hugo duxit filiam Edwardi regis Angliæ in uxorem, sororem regis Ethelstani, qui genuit Robertum regem litteratum, Robertus Henricum, Henricus Philippum, Philippus Ludovicum, Ludovicus alium Lodovicum patrem Philippi regis, qui cum rege Ricardo profectus est in terram Hierosolimitanam, qui genuit Lodovicum ex sorore comitis Baldewini Flandrensis. Gulielmus filius Rollonis a Balzone Curto occiditur in medio Sequanæ pro morte Riulfi et Hasculfi. De Balzone narratur quod Papiam solus obsedit. Bellum tunc fuit Cameriacorum. Ricardus filius Willelmi ducis Normanniæ dedit Emmam filiam suam Egfrido, id est Ethelredo regi filio Edgari regis. Hic Ethelredus fontes deturpavit, quum a beato Dunstano baptizaretur, qui fratri suo Edwardo a noverca occiso successit in regnum. Ricardus struxit Fiscannum cœnobium et turrim Rotheri.

Sedit Johannes XV hujus nominis Papa, qui Girbertus antea vocatus est, et pacificavit Ricardum prædictum et generum suum Ethelredum. Idem Girbertus, apud Floriacum in pueritia monachus, transivit in Hispaniam, a Saracenis illicitis artibus imbutus, ac post in Gallia docens astronomiam, et abacum,

atque nigromantiam, discipulos nobiles habuit, scilicet Robertum regem Francorum, qui dedit ei archiepiscopatum Remensem, et Othonem postea Imperatorem, qui dedit ei Ravennatem et Romanum episcopatum. Hic fudit statuæ caput certa inspectione planetarum, quod non nisi interrogatum loquebatur, sed verum, vel affirmative, vel negative. Verbi gratia, dicebat Girbertus "Ero apostolicus?" Respondebat caput, "Etiam."—"Moriar antequam cantem missam in Jerosolima?"—"Non." Quo ambiguo responso ad ultimum deceptus est, quia non providit quod Romæ esset ecclesia dicta Jerosolima. Qui mortem agnoscens facinora deploravit, ac membratim se dilanians foras projici jussit. Hujus tumba sudat contra mortem summi pontificis. De hoc papa dictum est:

Transit ab R Gibertus in R, fit Papa vigens R.

De isto narratur quod invenerit introitum thesauri Octoviani in campo Martio juxta statuam æream quæ digitum hominis extentum scriptum habebat in capite, "Hic percute!" Qui cubicularío comitatus lanternam portante, conspicatur ingentem regiam, aureos parietes, aurea omnia, milites aureos, aureis tesseris ludentes, regem aureum cum regina discumbentes, apposita opsonia, adstantes ministros, paterasque multi ponderis et pretii: carbunculus lapis qui noctis tenebras fugabat. In contrario angulo stabat puer, arcum tenens extento nervo, et arundine intenta. Sed nihil ibi erat quod posset capi vel tangi, quin omnes imagines prosiliebant et impetum in raptorem faciebant. Quo timore Girbertus percussus, nihil audebat contingere. Sed cubicularius non abstinuit quin cultellum mirabilis artificii a mensa abriperet, sed mox omnibus imaginibus cum fremitu exurgentibus, puer emissa sagitta in carbunculum tenebras induxit, et, nisi ille monitu domini cultellum citius rejecisset, graves ambo pœnas dedissent: sic insatiata cupiditate discedunt.

Eodem tempore erant duæ aniculæ impudicæ et maleficæ quæ quendam juvenem histrionicum in figuram asini mutaverunt, magna commoda ex ejus ludo habentes, quem etiam cuidam diviti vendiderunt, prohibentes ut arceret eum ab aquis. Sed

postmodum abrupto loro effugit, et in lacum se mergens figuram pristinam recepit. Omnis enim ars nigromantica aqua diluitur.

VIMCLXXXVI. HUGO CAPET REGNAVIT ANNIS IIII. MAGNUS DUX BURGUNDIÆ.

Ricardus dux patri Ricardo successit. Ad hunc Ethelredus rex, qui non passus est ceream candelam ante se accendi, eo quod in pueritia a matre cum candelis verberaretur, Timidus dictus, fugit cum Emma uxore sua, et filiis Aluredo, Edwardo, Margareta, propter metum Danorum, qui toto ejus tempore Angliam expugnabant, duce Swano et Cnutone filiis ejus. Hic Ricardus duos filios habuit; Richardum, qui primo anno post obitum patris decessit, et Robertum, qui fratrem veneno necavit, et ideo nudipes abiit Hierosolymam, et obiit Bithyniæ, ex Judith filia Conani comitis Britonum. Robertus genuit Willelmum Bastardum ex concubina, cujus speciem in choreis saltitantis forte conspicatus, nocte sibi eam conjunxit, et aliquandiu loco justæ uxoris habuit. Patre post VII annos ducatus sui Hierosolimam abeunte, ab omnibus proceribus in nomen et fidem Willelmi juratur.

Mortuo Swano rege Dacorum, quem beatus Eadmundus miraculose occidit, Etheledrus rediit in Angliam, quem Cnuto Londoniis obsedit. Quo mortuo, cum Eadmundo cognomento Ireneside filio Ethelredi Cnuto quinquies dimicans, tandem in quodam singulari certamine partiti sunt Angliam, et amici effecti, et Cnuto habuit regnum Merciorum. Eadmundo a proprio satellite intra celanda naturæ percusso et occiso, Cnuto solus regnavit, ac duxit Emmam filiam Ricardi primi, quæ fuit uxor Ethelredi, fugatis ejus filiis in Normaniam quos de rege Ethelredo prius habuerat.

Cnuto rex Angliæ et Danemarchiæ brachium sancti Bartholomei dedit Cantuariæ et corpus sancti Elphegi a Londoniis Cantuariam transtulit. Legem regis Elfredi correxit, et omnia monasteria per Swanum protrita reparare curavit, et Abendonam restauravit et Sanctum Edmundum. Multa etiam Fulberto Carnotensi episcopo ad opus ecclesiæ beatæ Mariæ contulit. Wiltoniense cœnobium ditavit. Interfectorem Eadmundi Ireneside occidit; sed ejus filios

ad regem Suavorum transmisit, ne pro regno Angliæ successu temporis, adversus eum decertarent. Denarium beati Petri denuo dedit, quum ante ab Edwardo filio Aluredi datus esset, et ab Ethelwolfo rege. Robertus rex Francorum fecit prosam Sancti Spiritus et Responsorium quod canitur in vigilia natalis Domini, scilicet *Judea, et Hierosolima*, et prosam de apostolis, *Clare sanctorum*, in memoria uxoris; et Responsorium de martyribus, *O constantia martyrum;* vir deditus eleemosynis, et litteratissimus discipulus Girberti, de quo supra fecimus memoriam, qui fecit prosam de angelis, ut dicitur, scilicet *Ad celebres rex cœlice laudes.*

VIMCCXVI. ROBERTUS REX FRANCORUM REGNAVIT ANNIS XXX.

Henricus rex Francorum filius Roberti dixit de fide Christiana "Quamdiu durabit hæc superstitio?" Haroldus Harevach filius Cnutonis regnavit in Anglia, et Emmam novercam suam auxilio Godwini expulit. At illa Flandriam petit. Post Haroldum qui IIII annis regnavit, Hardecnutus frater ejus, et filius Cnutonis ex Emma suscepit regnum, qui duobus annis regnans, inter pocula apud Lamutham juxta Londoniam expiravit. Hic caput fratris de fossa extractum, in Tamensem fluvium projecit, in ultionem matris exiliatæ. Edwardum fratrem suum a Normannis revocans, secum pacifice aliquamdiu habuit. Nam alter frater, Aluredus scilicet, ad stipitem ligatus a Godwino in Hely peremptus est, ter decimatis commilitonibus apud Guldedune, post mortem Haroldi, antequam regnaret Hardecnutus consilio Stigandi archiepiscopi.

Hardecnutus dedit Gunnildem sororem suam Henrico imperatori filio Conradi, qui adulterii accusata, puerculum quendam sturni sui alumnum, quem ex Anglia adduxerat, contra giganteæ molis hominem, apposuit ad monomachiam, cæteris clientibus inerti timore refugientibus; qui gigas a puero per miraculum, succiso poplite, enervatur. At Gunnildis statim velum suscipiens virum repudiavit.

Tempore Henrici Imperatoris facta sunt quædam mira, sicuti de exclamatione dæmonis in aere die Pentecostes apud Maguntium, qui dixit quum prosa missæ finiretur, "Scilicet hunc diem gloriosum fecisti, hunc diem bellicosum ego feci;" eo quod famuli Archiepis-

copi Maguntini et Abbatis Sancti Galli in Saxonia qui debet imperatori L millia equitum, inter se pugnaverunt pro sede primatus. Hic imperator adhuc puer cuidam clerico pro fistula aurea promisit episcopatum, unde, post, quum ægrotaret, dæmones eum cum fistula urgebant. Deposito episcopo imperator convaluit. Dederat imperator calicem aureum ecclesiæ Sancti Laurentii de Wercheburc. Quo mortuo, orante quodam eremita audivit voces dæmonum canentium *In sublime ;* vocati causam gaudii sciscitanti, de morte imperatoris confitentur. Hora ejusdem diei duodecima ululantes eos in aere audivit. Acciti, curiam Jesu calumniantur, pace tamen ejus permissa. Aiunt enim in conflictu habito inter spiritus nudam quendam Laurentium semiustum calicem aureum stateræ tanta vi impressise, quod fundum cavaret, et animam defuncti a beato Michaele ablatam. In crastino apud Wercheburc calix idem cavatus inventus est.

Hac tempestate factum est illud miraculum de cantantibus per annum in atrio ecclesiæ Sancti Magni martyris in Saxonia sub Roberto presbytero de XVIII viris et XV feminis in chorea, die ac nocte saltitantibus. Quædam venefica mulier in Anglia existens quum esset defuncta et in lapideo sarcophgo recondita, catenisque ferreis esset ligata, et a L clericis tribus noctibus in ecclesiam custodita, circa gallicinium velut viva a dæmonibus est educta, diruptis omnibus repagulis. Quidam nobilis adolescens civis Romanus, desponsata uxore, eadem die cum sodalibus post cibum in campo ludens annulum sponsalicium digito extento statuæ æriæ quæ proxime stabat, imposuit. Annulum post ludum repetens, invenit digitum statuæ usque ad volam curvatum, unde nec annulum ejicere, nec digitum frangere potuit. Re autem sociis celata, domi revertitur, noctu cum familiis rediens, extentum statuæ digitum invenit et annulum subreptum ; quumque, hora cubandi, se juxta uxorem collocasset, sensit quoddam nebulosum et densum inter se et uxorem volutari, quod posset sentiri, sed minime videri. Hoc obstaculo ab amplexu conjugis semper prohibitus est, ac vocem audivit, " Ego sum Venus, cujus digito imposuisti annulum : habeo illum, nec reddam : mecum concumbe, quia me hodie des-

ponsasti." Territus ille nihil referre ausus est. Postea vero prædictus juvenis presbyterum palumbum nigromantiæ adiit, per cujus incantationes annulum recepit porrecta quadam epistola cuidam dæmoni per compitam cum multa turba utriusque sexus transeunti, atque in curru gemmato residenti, qui annulum violenter extorsit a Venere et juveni tradidit, qui postea libere potitus est cupitis amplexibus. Corpus Pallantis filii Evandri, de quo Virgilius narrat, tunc temporis repertum est Romæ illibatum; hiatus vulneris quod in medio pectore Turnus fecerat, quatuor pedibus et semis mensuratum est: corpus muro applicitum, muri altitudinem vicit. Lucerna adhuc ardens ad caput est inventa, quæ nullo flatu vel liquore potuit extingui, donec quidam subtus flammam stylo foramen fecit, et sic introducto aere ignis evanuit.

In confinio Normanniæ et Britanniæ quoddam portentum muliebri specie est visum, cui erant duo capita, IIII brachia, et cætera omnia gemina usque ad umbilicum, inferius vero singularis. Una pars ridebat, loquebatur, edebat, altera flebat, tacebat, esuriebat; una mortua supervixit altera. Portavit pene triennio viva mortuam, donec et pondere et fætore cadaveris ipsa quoque deficeret.

Henricus imperator magnis præditus virtutibus Windelicos et Scuticios, cæterosque populos Swenis conterminos, qui usque ad hanc diem soli omnium mortalium paganas superstitiones observant, devicit. Contigit ut quodam tempore imperator minctum mane surgeret, prospiciensque per fenestram vidit sororem suam sanctimonialem Amasium clericum extra curiam supra dorsum efferentem, ne vestigia amici in nive deprehenderentur. Obmutescens et hæsitans utrum peccatum impunitum dimitteret, vel peccantes honeste redargueret, tandem episcopatum vacantem dedit Clerico dicens, "Accipe nunc episcopatum, et vide ne inequites ulterius mulierem," itemque dans sorori abbatiam sanctimonialium, "Esto," ait, "abbatissa, nec ultra patiaris clericum equitem." Confusi illi desciverant a flagitio.

Item habebat diaconum quendam in curia qui quadam nocte cum meretricula volutatus, coactus est verbis multis ab imperatore

ut evangelium illa die solemni legeret, eo quod vocis ejus melodia delectaretur. Qua prorsus pro timore Dei abnuente, Imperator ut clerici constantiam probaret, præcepit eum extorrem esse totius terræ suæ. Qui quum mox abscederet, revocavit eum dicens, " Probe satis fecisti, qui pluripenderis Dei timorem quam patriam, ac respectum cœlestis iræ quam minas meas. Quapropter habeto episcopatum, qui primus in imperio meo vacaverit; tamen indecenti amori renuncies."

Obiit Henricus imperator octavo imperii sui anno apud Spiram conditus.

Anno ab incarnatione Domini MXLII Edwardus filius Ethelredi, frater Edmundi Irenside ex patre, frater et Hardecnuti ex Emma matre, suscepit regnum Anglorum, auxilio Godwini comitis cujus filiam duxit, sed eam minime cognovit, unde ambo in cœlibatu permanserunt. Hic rex Westmonasterium fecit et ditavit, multaque miracula egit. Godwinus comes filius bubulci fuit: in mensa regis Edwardi offa suffocatus est, et ab Haraldo filio sub mensa extractus. Hic Godwinus a rege Cnutone nutritus, processu temporis in Daciam cum breve regis transmissus, callide duxit sororem Cnutonis. Sedit Gregorius VIus qui Romanos prædones interfecerat, cujus corpori exanimi omnes januæ ecclesiæ sancti Petri divinitus reseratæ sunt.

VIMCCLV. HENRICUS REGNAVIT ANNIS XXXIX.

Anno verbi incarnati MLXVIo rex Edwardus obiit apud Westmonasterium, vigilia Epiphaniæ, exactis in regno XXIII annis, et mensibus VI, diebus XXVII. Haraldus comes filius Godwini statim ipsa die rapuit diadema, et tunc cometes apparuit. Eodem anno Arvagre rex Noricorum et Tostius frater Haraldi regis Eboracensem provinciam vastantes, ab Haroldo occisi sunt juxta pontem belli. * Hic Haraldus post novem militibus destitutus, quia nihil largitus est eis de præda Noricorum, et propter læsionem juramenti, a Willelmo Bastardo duce Normannorum apud Hastin-

* Opposite this word in the MS. some modern scholar has written in pencil, " Explicit: Incipit Chron. Radulphi de Coggeshale."

gnes victus est die Sancti Calixti, cum quo omne robur Anglorum cum prisca libertate corruit.†

Tunc factum est illud mirabile de corvis et oculo maculato in villa quæ dicitur Torre. Igitur Willelmus subjugatis Anglis die Natalis Domini Londoniæ coronatur ab Aldredo archiepiscopo Eboracensi. Cavebat enim id munus a Stigando Cantuariensi accipere, quod esset is archiepiscopus non legitime. Coronatus est autem anno ab incarnatione Domini MLXVIIo, exactis ab initio mundi annis sex millibus ducentis et LXIIbus. Qui regnavit annis XXti, mensibus X, et XXVIII diebus.

VIMCCLXII.

Post Edwardum pro regibus surrexere in Anglia tyranni. Haraldus comes fecit ecclesiam sanctæ crucis de Walteham, ubi et corpus ejus delatum est de Bello, annuente rege Willelmo ad petitionem matris; fecerat ibi canonicos præbendarios, qui postmodum ab Henrico rege secundo expulsi, eo quod incontinenter viverent, canonici regulares sunt ab eo subintroducti. Dicunt autem nonnulli quod hic Haraldus et Ghert frater ejus in illo certamine inter occisos ipsi graviter vulnerati delituerint, nocteque subsequenti aufugerint, et quod postmodum in eremitica vita in Cestria diutius vixerint usque ad tempora regis Henrici Secundi,

† In the margin of the MS. is what follows: Rex Haraldus, audiens Willelmum Bastardum cum V catervis splendidis militum apud Hastinghes adventasse, promovit aciem Anglorum in planis Hastinghes; pugnaturus vero, totam gentem suam in una acie strictissime locavit, et quasi castellum construxit, ita ut impenetrabiles essent Normannis. Docuit ergo dux Willelmus genti suæ fugam simulare, fugientes autem ad quandam foveam magnam dolose ab Anglis protectam devenerunt, ubi multus eorum numerus corruens oppressus est. Dum ergo Angli insequendo persistunt, acies principalis Normannorum mediam Anglorum catervam pertransiit, quod videntes qui persequebantur per foveam prædictam redire compulsi, ibidem ex magna parte perierunt. Docuit etiam Dux Willelmus viros sagittarios ut non in hostem directe, sed in aera sursum sagittas emittentes, cuneum hostilem sagittis cæcarent, quod Anglis magno fuit detrimento.

qui nunquam nisi in fine adjurati confiteri voluerunt qui essent.

Parum ante hæc tempora Wiscardus filius Tancard junior subegit Apuliam, Calabriam, Siciliam, cum 15 militibus Normannorum, et vicit Venetios et Alexium imperatorem Bizanzenum, et Henricum imperatorem a Roma expulit. Restituit etiam Hildebrandum papam, Wiberto expulso.

Extremo tempore, quum rex Willelmus potionem accepisset, et aliquantisper se a congressione Francorum contineret, derisit eum rex Philippus, dicens eum jacere ut puerperam. At ille " Quum ad missam, " inquit " iero, mille candelas per resurrectionem Domini tibi libabo," qui mox Mantes cremavit, et ecclesiam beatæ Mariæ, et quædam reclusa est ibi ustulata. Qui ex foci calore morbum nactus est, quo ex hac luce migravit. Alii dicunt quod præruptam fossam equus transiliens, interanea sessoris disrupit. Cadomi quiescit. Duas fecit abbatias. Solus filiorum ejus Henricus funeri interfuit, qui C libras argenti dedit calumnianti locum sepulcri. Willelmus rex virorum largissimus, omni die ex uno paupere fecit ditissimum. Obiit intestatus sicut et cæteri reges Normanni, excepto rege Stephano. Claret Turonensis Berengarius qui prius male sentiebat de sacramento altaris. Tunc inventum est in Wallia sepulchrum Walwani, qui fuit nepos Arturii ex sorore, super ripam maris, XIIII pedum.

VIMCCCII. PHILIPPUS REGNAVIT ANNIS XLVII.

Willelmus Rufus patri in Anglia succedens, expulit beatum Anselmum archiepiscopum, et XXX cœmeteria in pascua ferarum redegit. Vivente Laufranco archiepiscopo, virtuti est deditus, primo munificus, post prodigus. Hic iterum Cenomanum subegit capto comite Helya, sed quia dixit se casu non virtute captum, dimisit eum, unde ei Helyas hominium fecit. Hic Willelmus construxit turrem Londoniæ, et illam magnam aulam apud Westmonasterium. Omnes pro Willelmo Rufo orantes anathemate sunt involuti ab Innocentio Papa. Inchoat religio Cisterciensis. Celeberrimæ per orbem visiones fantasticæ. Claret Hugo abbas Cluniacensis. Concilium apud Claremontem congregatur, præsidente Urbano IIo, causa itineris Hiersolalim.

Robertus Curta Ocrea impignorata fratri Willelmo pro X millibus marcarum argenti Normannia, Hierosolimam itineratur cum aliis nobilibus viris; qui Antiochiam et terram Hierosolimitanam de potestate paganorum viriliter eripuerunt. In Roberti comitatu profectus est Stephanus comes Blesensis, qui duxerat sororem ejus, filiam scilicet regis Willelmi, ex qua habuit comitem Theobaldum et Stephanum, postea regem Angliæ. In illa expeditione profecti sunt Godefridus dux Lotharingorum, et Baldewinus de Rohesia frater ejus, postea reges Hierosolimitani, Robertus comes Flandriæ, Hugo frater regis Philippi, Boamundus Appulius, Reimundus comes de sancto Egidio, et Aimarus Padii episcopus. Hi omnes apud Constantinopolim convenerunt, et per Asiam Minorem usque Antiochiam transierunt, magnam stragem Paganorum facientes. Plura sub rege Willelmo tristia acciderunt, sicut terræ motus, tumultus fulgurum, motus turbinum, discordia ventorum, diluvium pluviarum, fames, mortalitas hominum, cometa XV diebus apparens. Diabolus, visibiliter hominibus apparens in saltibus et deviis, transeuntes alloquebatur. Apud Bercsire fons sanguinem manavit XV continuis diebus. Pridie quam excederet vita rex Willelmus, vidit per quietem se flebotomi ictu sanguinem emittere, radium cruoris in cœlum usque protentum, lucem obnubilare, diem interpolare. Nocte eadem quidam monachus viderat de rege somnium mirum et horrendum, scilicet quod rex in quandam ecclesiam veniens, crucifixum mordicus apprehendit, brachia illi corrosit, crura illi pene trunculaverat, crucifixum diu tolerasse, sed tandem pede ita regem depulisse, ut supinus caderet; ex ore jacentis effusam flammam exisse, ut sidera lamberet. Quumque hoc somnium regi referretur, ille cachinnos ingeminans, "Monachus" inquit "est, et causa nummorum monachiliter somniat. Date ei C solidos." Itaque ante cibum illa die vix a venatu abstinuit, et mox post cibum in venatu contendens, a quodam sibi familiarissimo Waltero Tyrel sagitta in corde percussus, spiritum exhalavit, nullum verbum emittens. Cadaver in rheda caballaria missum Wintoniæ delatum est ac infra ambitum turris sepultum, multorum procerum con-

ventu, sed paucorum planctu. Anno vero postero turris illa ruit. Obiit autem anno incarnationis Dominicæ MC, regni XIIIo, ætate major quadragenario. Ingentia præsumens, sacrati ordinis hominibus miserandus, stipendiariis militibus donator mirabilis, provincialibus odiosus, ecclesiasticos honores diutius retinebat. Sequebantur ejus curiam effeminatorum manus et ganearum greges. Curiales rusticorum substantias depascebant, a buccis miserorum cibos abstrahentes. Tunc fluxus crinium, tunc usus calceorum cum arcuatis aculeis : mollitie corporis certare cum feminis, gressum frangere gestu soluto, et latere nudo incedere, adolescentium specimen erat. Beatus vero Anselmus archiepiscopus hujusmodi corrigere conatus, sed societate suffraganeorum suorum destitutus, sponte discessit a regno, duritiæ temporis cedens; qui ut prædo publicus manticis omnibus et bulgis in portu expilatus est, quum ventos expectaret navigaturus. Mortuo Willelmo Ruffo in venatu Henricus frater ejus quarto die post nonas Augusti Londonis coronatur, qui duxit Matildem filiam regis Malcolmi, abneptem beati Edwardi ex fratre Edmundi Ireneside. Eodem anno Robertus Curtehose de Hierosolimis rediens duxit Sybillam filiam Galfridi de Conversana, et cepit Normanniam sine conflictu. Hic Galfridus fuit nepos Roberti Wiscard. Secundo anno Henrici regis Robertus Curtehose applicuit in Anglia cum exercitu, sed Henricus pollicitus est se ei daturum singulis annis tria millia marcarum. Quinto autem anno cepit eum Henricus apud Tenerchebrai, et Willelmum comitem de Moretum et post Robertum de Belesmo et inclusit eos in carcere omni tempore. Willelmus comes filius Roberti ex Sybilla separatus a filia Fulconis Andegavensis, duxit sororem regis Francorum, accepta Flandria post mortem Caroli comitis. Carolus fuit filius regis Daciæ ex filia Roberti Flandrensis. Hic Carolus a suis ante altare beati Donati apud Bruges est occisus. Willelmus filius Henrici regis naufragatus est apud Barbafleet, quum esset annorum XVII et paulo plus cum Ricardo fratre notho et sorore notha comitissa Particæ, et sorore comitis Theobaldi et cum multis adolescentibus procerum filiis qui ei pro parili ætate se

conjunxerant. Remiges enim nimio mero ingurgitati cæca nocte navem novam a littore impellunt, navem regis Henrici quæ præcesserat transire cupientes, sed navis ad rupem elisa confracta est; filius autem regis scapha excipitur salvarique potuisset nisi miserando clamore sororis infractus scapham carinæ applicare jussisset, ut sororem acciperet, sed continuo multitudine insilientium scapha obruta in fundo maris subsedit. Navis nunquam ulla fuit Angliæ tantæ miseriæ, nulla toto orbi patulæ famæ. Hoc infortunium evenit post mortem reginæ Matildis matris prædicti Willelmi.

Rex Henricus dedit Mathildem filiam suam Henrico Imperatori, quæ Maguntiam desponsata est, et in Imperatricem consecrata, cui Imperator dedit CM equites in dote. Tunc in Angliam datum est Danegald. Hic Imperator cepit et habuit Pascalem Papam in vinculis. Imperator Henricus quo postea fugerit aut devenerit incertum habetur. Post hæc Imperatrix ad patrem suum reversa, tradita est Gaufrido Plantagenest, comiti Andegavensium, qui genuit ex ea Henricum IIum regem, Gaufridum, Willelmum Lungespec. Henricus rex extremo tempore luxuriosus ut fere tota ejus progenies Anglos angaria forestæ vehementer oppressit. Facundus, prudens, munificus, et licet superbus, comis tamen et pacificus, justus in judicio et ludis modeste deditus. Anno Henrici regis XXXIIII eclipsis solis facta est et apparuerunt stellæ, et obtenebratus est dies hora sexta, ipso rege transfretante. Anno ultimo regni ejus cometes apparuit et tantus ventorum turbo, quod turres et silvas integras dirueret.

VIMCCCXXXIII.

Lodovicus rex Francorum regnavit annis XXXI. Mortuus est anno Christi MCoXXXVo, ante obitum regis Henrici anno uno. Lodovicus comestor piscium regnum strenue reparavit, cujus filius Philippus vivente patre coronatus VI mensibus regnavit. Hic apud Parisios ab equo corruens ad silicem contritus est.

Defuncto rege Henrico, Stephanus nepos ejus die natalis in Anglia coronatur, sed in consecratione regis non est mentio facta

pacis. Hujus tempore seditio magna fuit in Anglia dissensu procerum et regis mollitie. Fames in Anglia invaluit cum siccitate nimia. Rex Ludovicus Ludovici filius ab Innocentio papa in regem consecratur. Hic clementissimæ fuit naturæ, pater clericorum et pacis amator, justitiæ zelator, benignitatis specimen, ecclesiæ tutor, pauperum consolator, oppressorum sublevator, vini potator. Tres uxores habuit. De Alienoride, filia comitis Pictaviæ, sustulit duas filias : de Hispannica duas : de filia Theobaldi comitis unam et Philippum regem.

Mortuo rege Stephano, qui XIX annis regnavit, Henricus dux filius Galfridi comitis ex imperatrice coronatur, qui terrarum portiones in solidum astu non viribus univit, ut prædixit Merlinus. Tunc tertio datum est Danegheld, data regis filia duci Saxoniæ. Hujus anno XVo, aperto mulieris sepulcro in Anglia examen muscarum et burdonum fœtidissimum est repertum. Tempore regis Henrici claruit beatus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, qui pro defensione ecclesiasticæ libertatis exilium VII annis perpessus, tandem in basilica sedis suæ martyrio coronatus est, anno Christi MoCoLXXIo. Huic successit Ricardus vir liberalis, affabilis, et in terrenis administrator circumspectus, a beato Augustino XLus. Quorum archiepiscoporum nomina hæc sunt : Sanctus Augustinus, Laurentius, Mellitus, Justus, Honorius, Deusdedit, Theodorus, Bertwaldus, Tadwinus, Nothelmus, Cuthbertus, Bregwinus, Lambertus, Adilerdus, Wulvredus, Swithredus, Chelnotus, Eilredus, Pleghemundus, Adelmus, Wulfelmus, Odo, Dunstanus, Ethelgarus, Sigericus, Elvricus, Elphegus, Livingus, Chelnotus, Edsinus, Robertus, Stigandus, Lanfrancus, Anselmus, Radulfus, Willelmus, Theobaldus, Sanctus Thomas, Ricardus, Baldewinus.

Anno primo Ricardi Cantuariensis episcopi combusta est ecclesia Cantuariensis : ad cujus reparationem dedit XL marcas, quum prius pro confirmatione suæ electionis decem dedisset. Quo tempore obiit Johannes Neapolitanus. Quo mortuo, audierunt nautæ sub Ethna vocem dicentem, " Accendite focum ! Obiit

Joannes cardinalis !" Simile factum est de Ebroino præfecto in barbarorum insula.

Urbs Mediolanum VII annis ab imperatore Frederico obsessa, funditus eversa est, sed post reparata.

Tres magi illi, qui Dominum requisierunt, Coloniam asportati sunt a Mediolano sub Frederico imperatore. Hic Alexandriam construxit in Italia de potestate papæ.

Rex Ludovicus contemplatione sterlingorum semper a suis proditus, beato Thomæ exulanti compassus, necessaria cum summo honore, et post mortem ejus Cantuariæ reditus contulit. Obiit Parisius, sepultusque est apud Barbeaus super Sequanam, quam ipse fundavit. Qui regnavit post XLV annos. Ejus uxorem primam, objectu parentelæ separatam, vivente marito, dux Henricus duxit, accepto comitatu Aquitaniæ. Nactus autem regnum Anglorum, servos spurios, caligatos cubili, mensæ, regno præfecit, et ex iis quæstores, prætores, proconsules, tribunos, municipes, forestarios super provincias constituit. Illustres ignominiis oneratos, sed cæteris rebus vacuos, patrimoniis omnino privavit, vel subdole portionibus detractis decrustando sensim adnihilavit. Ex cubiculariis, et aulæ nugatoribus episcopos abbates factos auctoritate propria ad officium apparitorum revocavit, et quem præsulem crearat ex præside, in præsidatum recreavit ex præsule. Monasteriis vacantibus solicite disposuit, non qualiter beatus Gregorius subarrhando, sed quomodo Vectius, qui monumentum patris exarando coluit; abbates, hippodromos et canum custodes fecit, possessiones ecclesiarum confiscavit, et quas ipse Deo imprudenter obtulit, impudens revocavit; episcopis testamentum facere permisit, sed relicta ecclesiæ callide subtraxit; relicta privatis violenter eripuit. Nulli infra metas forestæ habitanti in lucis propriis aut virgas colligendi aut silvestria et invia in agriculturam agendi potestatem concessit sine forestariis. Legem quoque de forestis inauditam dedit, qua delicti alieni immunes perpetuo mulctabuntur quum decessores nulla linea sanguinis contigerit. Illustribus uxores ducere, filias nuptui dare, præter regis conscientiam inhibuit, et transgressores tanquam reos, læsæ

majestatis punivit. Hæredes omnium quos avus suus extulerat, et qui ei in subigenda Anglia constanter adsistebant cognatos quoque suos quam aspides exosos habuit. Corruptor pudicitiæ et avum sequens in flagitiis, primo in sponsas, post in filias procerum illecebras exercens, consortia hominum declinans, fruticetis et scopulis inviis se sæpe deperdidit, filios ad idem invitans. Reginam, ut liberius stupris vacaret, pro qua crebro Satyrion accepit, in domo carceris inclusit. Nulli fidem servans, fratres misere vitam finire coegit, immemor sacramenti præstiti præsente patris corpore. Nullo quæstu satiatus, abolitis antiquis legibus, singulis annis novas leges, quas assisas vocavit, edidit. Danegheldum avitum innovavit. Judæorum legem Christianismo præposuit, et eis succedens usuras capiendo judizavit. Episcopos contra fidem orthodoxam jurare compellens, clericos ad sanguinis judicium, et duplicem contritionem attrahere operam dedit. Expulso beato Thoma, consanguineos ejus et commessarios proscripsit. Ipso in ecclesia interfecto, persequutoribus ejus patrocinium præstitit, laicos apostatare compulit. Juratus se tria monasteria constructurum, duos ordines transvertit, personas de loco ad locum transferens, meretrices alias aliis, Cenomannicas Anglis substituens. Aurum et argentum sub voti prætextu in truncos convertit, de XX solidis duos denarios extorquens, et in hoc facinus regem Francorum induxit, sicut et cunctis principibus Christianum nomen profitentibus auctor mali et exemplar inauditi fuit flagitii. Consanguineos in tertio gradu conjungere mos illi celeberrimus. Corruptus a Ricardo archiepiscopo monetam corrumpi permisit, corruptores tandem suspendio decedere compellens. Avibus cœli, piscibus fluminum, bestiis terræ immunitatem dedit et sata pauperum loca pascuæ fecit. Causam fidei læsæ et advocationis ecclesiarum in curia decidi constituit. Electionis jus ita delinivit, quod toto sui regni spatio nec unus ex millibus canonice sit promotus. Vulgus inaudatum manibus et pedibus truncavit. Comites et episcopos in servitutem fossandi, et cæterorum operum servilium coegit. Tributarius exteris, in domesticos prædo. Scutagiis, recognitionibus, et variis angariarum alluvionibus fere omnes depressit. Omne jus

poli jure fori demutavit. Scripta authentica omnium enervavit, libertatibus omnium insidians quasi e specula, solotenus egit innoxiorum municipia. Filias miseræ conditionis, corruptas et oppressas, copulans clarissimis, hæredes omnes mechanicos creavit. Servis generosas copulans, pedaneæ conditionis fecit universos. Hæreditates retinuit aut vendidit, fortunam semper in exitu præter duos annos vitæ ultimos blandam expertus. Exin aucta ei insolentia, nihil intemeratum reliquit, nihil intactum præteriit, et totus in auro, aurum esuriebat, sitiebat, anhelabat, et crescentem auri cumulum vincebat avaritia. Oratorium ingressus, picturæ aut susurro vacabat. Horas regulares quasi aconitum fugiebat. Presbyteros innoxios compeditos habuit in vinculis, nullam distinctionem habens clerici vel rustici, abbatis vel cerdonis, monachi vel pedaciæ. In causis differendis cavillantissimus ut sæpe jus venderet. Episcopatus vacantes electione diu suspendit, ut iis diutius abuteretur, et quum prius debeant clerici et monachi in episcopos et abbates canonice eligi quam consecrari vel benedici hodie prius in Anglia consecrantur et benedicuntur. Nunquam enim eliguntur sed a laicis intruduntur. Inter eligentes serens discordias, quod ei et inter filios consuetissimum, ut factionem propriam aliena malignitate obnuberet. Et hæc ei causa excidii perpetua.

Hucusque protraxit hanc chronicam magister Radulfus Niger, qui accusatus apud prædictum principem et in exilium pulsus, ob expulsionis injuriam atrociora quam decuit de tanto ac tam serenissimo rege mordaci stylo scripsit, magnificos ejus actus quibus insignis utique habebatur reticendo, atque prava ejus opera absque alicujus excusationis palliatione replicando, quum pleraque de his quæ commemoravit in pluribus articulis aliquantulam admittant excusationem, si gestorum ejus intentio justo libramine ponderetur, si regiæ potestatis lubrica libertas pensetur, quæ fere cunctis potentibus dat licere quod libet, quorum vitiis favent inferiores,

proni ad imitandum, prompti ad adulandum, quum et impunitas præstet audaciam, divitiæ vero acuant et accendant culpam.

MCLXIIo. Anno incarnationis Christi MCLXII beatus Thomas regis Henrici secundi cancellarius consecratus est in archiepiscopum Cantuariensem. Anno sequenti duellum factum est inter Henricum de Essexia et inter Robertum de Munford, quem Robertus in campo semivivum reliquit, sed postea plurimis annis in monachatu apud Readinghes laudabiliter vixit. Cujus filii nunquam postea paternam hæreditatem assequi potuerunt.

MCLXIIIo. Generale concilium ex præcepto regis Henrici II apud Northamtune habitum est, a quo beatus Thomas, libertatem ecclesiæ opprimere machinante, latenter discessit, et præsentiam domini papæ apud Senones adiit. Rex vero contra eum misit in allegationem archipræsulem Eboracensem Rogerum, episcopum Londoniensem Gilbertum, Cistrensem Hilarium, Wigornensem Rogerum, Exoniensem Bartholomæum, Willielmum comitem de Arundel, Reginaldum de Warrene, et alios quamplures, qui nihil omnino ad votum vel propositum regis peregerunt.

MoCLXV. Henricus rex duxit innumerabilem exercitum contra Gaulenses; præbentibus sibi auxilium Flandrensibus, Scottis, Pictis, Andegavensibus et multis aliis: sed cum tanta multitudine eos non expugnavit, immo magis contra se exasperavit. Captum est et a Gaulensibus castrum Caradigan famosum. In quadam obsidione apud Bridges contra Hugonem de Mortemari, quum idem rex a quodam sagitta appetereter, quidam ex proceribus suis, scilicet Hubertus de Sancto Clero, constabularius Colcestriæ, statim se tanto discrimini opposuit, mortemque pro domino suo excepit. Cujus postmodum unicam filiam in suam custodiam suscipiens, patre ibidem moriente et pro ea regem interpellante, tradit eam Willelmo de Langvalee in ma-

trimonium cum hæreditate paterna. Qui genuit ex ea filium nomen suum cum agnomine ei imponens.

MoCLXVIo. Rex Henricus II omnes milites jurare fecit ut quot militum jura seu feoda unusquisque illorum obtineret, palam ediceret, volens ut pro feodorum numero servitia militum exigerentur : quod stare non potuit.

MCLXVIIo. Imperator Frethericus schismaticus exercitum copiosum ad Romanam urbem usque perduxit. Sed ultione divina Reginaldo Coloniensi archiepiscopo, et Maguntino intruso, Leodicensi et Ratisponensi episcopis, qui fuerant imperatoris consiliarii, morte percussis, et exercitus multitudine non parva, imperator confusus abscessit.

MoCLXVIIIo. Rex Henricus II dedit filiam suam Henrico duci Saxonum, quam in Saxoniam deduxerunt viri nobiles, scilicet Willielmus comes Suthsexiæ et Harundelensis comes et Reginaldus comes Warrenniæ, cum incomparabili suppellectite tam in vestibus et vasis pretiosis quam in auro et argento. Hæc fuit mater Othonis regis Alemanniæ. Obit Guido Cremensis antipapa, in cujus loco alter per imperatorem Frethericum subrogatus est. Quem etiam ad Romanam urbem usque perduxit et in ecclesia apostolorum violenter collocavit. Quo in eadem relicto de magna multitudine pluribus fere usque ad mille viros cum episcopis qui cum eis venerant ultione divina prostratis imperator cum reliquis confusus abscessit.

MoCLXIXo. Alexander Papa vinculo anathematis innodavit archiepiscopum Eboracensem Rogerum, Londoniensem Gilbertum, Jocelinum Salesberiensem Hilarium Cistrensem episcopum qui sub eodem schismate paralysi percussus vitam finivit, eo quod beato Thomæ exulanti et justissimæ ejus causæ adversabantur. Duo igitur legati, Gratianus videlicet et Vivianus, a domino papa secundi nuntii missi sunt, ut illis intercedentibus Henricus II rex Anglorum ad amorem archiepiscopi Thomæ flecteretur. Compositione vero ad regis libitum facta, retractantes secum diligentius modum pactionis legati altera die voluerunt mutare contracta : unde rex vehementius ad iracundiam concitatus est; adeo ut ipso

jubente tota gens Anglorum per justicias jurare cogeretur quod nec domino papæ nec archiepiscopo nisi per os ejus obaudirent: alioquin ablatis facultatibus suis exularent. Nemo etiam, sive clericus sive laicus, religiosus aut secularis, nisi acceptis regis literis et ostensis, in Angliam transire tunc temporis permissus est.

MoCLXXo. Rex Henricus II de Normannia transitum faciens in Angliam VI non. Martii in tantum in mari periclitatus est ut de vita desperaret. Quo in tempore coronari fecit Henricum filium suum ab archiepiscopo Eboracensi contra morem patriæ.

Comes Ricardus de Striguil cognomento Strongbow, paternæ hæreditatis ab Henrico rege extorris effectus, pluribus sibi aggregatis in Hyberniam applicuit. Qui valide Hybernenses expugnans in brevi cepit Waterford, et civitatem Diuelin, et plurima alia oppida super marinam illam, ac tandem filiam cujusdam reguli ejusdem patriæ cum tota terra sua. Qui genuit ex illa filiam, quam Willelmus marescallus in conjugium accepit cum toto illo honore.

Beatus Thomas archiepiscopus et Rex Henricus fædus pacis et concordiæ inierunt in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ * atque in calendis Decembris cum suo comitatu in Angliam apud Sendwic gaudens applicuit. Porro quum Rogerus Eboracensis archiepiscopus et Gilbertus Londoniensis Episcopus cum Salesbrensi episcopo apud Doveram constituti essent et auram gratam transfretandi expectarent, ecce in vigilia Sancti Andreæ † subito advenit nuntius domini papæ Alexandri ferens his tribus litteras singulas quibus interdictionis virga percussi sunt.

In crastino Innocentium, MoCoLXXIo,‡ innocens Thomas Cantuariensis archiepiscopus in basilica sedis suæ martyrii triumpho glorificatus est. Quem quatuor milites ex curia regis Henrici II adventantes crudeliter occiderunt, archiepiscopo se ad ictum

* July 22, 1170.
† Nov. 29—30, 1170.
‡ Dec. 28—29, 1170.

persequutoris inclinante. Horum quatuor satellitum nomina fuerunt hæc; Reginaldus filius Ursi, Hugo de Moreville, Willielmus de Traci, Ricardus Brito.

Visus est draco miræ magnitudinis apud Sanctam Ositham de Chiche non longe a terra per aera ferri, ex cujus motu aer in ignem concitatus quandam domum incendit quam cum sibi conjunctis in cinerem redegit. Hoc factum est secundo Martii nonarum. Similiter contigit in Galliis apud quoddam monasterium quod situm est ubi Matrona fluvius cadit in Sequinam et vocatur cœnobium illud Fossez, ubi sanctus Maurus requiescit. Nam quum quædam valida tempestas tonitruorum atque nimborum illis in partibus subito suborta fuisset, ecce quidam serpens per aera super Matronam advenit volans, incredibilis longitudinis et grossitudinis, quem et flammas de ore et naribus jaciens, et quasi tempestatem illam fugiendo declinans. Quod horribile monstrum monachi prædicti loci et patriotæ contuentes nimio timore et horrore conturbati sunt, desolationem et concremationem totius loci formidantes, si se draco in habitaculis eorum ingereret. Interea quidam ex monachis fidei virtute inclytus et admirabilis sacris vestibus se induit, atque sacrosanctam hostiam Dominici corporis in manibus cum magna reverentia accepit; sicque armatus obviam diro serpenti solus processit, qui jam fines eorum invasurus erat. At flammivomus serpens divina virtute prostratus et præsentia tam vivifici sacramenti ab omni volatus sui conamine fustratus, a sublimi aere cum maximo impetu in amnem decidit et nusquam postea comparuit. Cujus præcipicii fragor fere per duo milliaria auditus est, sicut ab accolis regionis illius audivimus.

DE TRANSFRETATIONE REGIS HENRICI II IN HYBERNIAM.

Rex Anglorum Henricus II, valida militum manu stipatus, XVI kalend. Novembris in Hyberniam applicuit; quem Ricardus comes asciverat ac totam terram eodem regi tradidit quam subjugaverat, ut vel sic efferatum ejus animum contra eum

* King Henry and Becket made peace finally on the 22nd of July, 1170.

mitigaret. In cujus adventu universa insula commota est et contremuit: reguli si quidem illius patriæ fere omnes de suis viribus diffidentes præfatum regem supplices adierunt, pacem postulaverunt, tributum ei singulis annis se daturos sposponderunt. Quorum supplicationi rex annuens, accepto ab omnibus homagio et obsidibus, in pace eos ad propria redire permisit.

MoCLXXoIIo. DE HORRENDO TONITRUO NOCTE NATALIS DOMINI. Nocte natalis Domini auditum est horrendum tonitruum per totam Angliam, sed et circumquaque in transmarinis partibus, maxime autem in Hibernia. Nam ibi non slum nocte illa, sed etiam tota die natalis Domini, tempestas illa perdurans tantum horrorem et terrorem incussit audientibus, ut et de vita desperarent. Eadem nocte in Anglia, apud villam quæ dicitur Andieura, sacerdos quidam in ecclesia ante altare in oratione prostratus fulminis ictu percussus est et circa horam diei nonam vitam finivit. Sed et laicum quendam ipsa nocte et in eadem ecclesia fulgur ruens accendit. Quem quum frater ejus qui astabat ab imminenti incendio liberare niteretur, ejusdem periculo subjacuit. Sicque de alio in alium vorax flamma pertransiens plures accendit et incendit.

Rex Henricus II, locatis in Hibernia militibus suis per castella et loca munitiora, reversus est in Angliam et paucis exactis diebus transfretavit in Normanniam.

Eodem anno filius ejus Henricus IIIus coronam portavit apud Wintoniam, et Margarita filia Regis Lodovici, antea eidem desponsata, consecrata est in reginam a Rotineo Rothomagensi archiepiscopo.

MoCLXXIIIo. DE APPLICATIONE FLANDRENSIUM IN ANGLIAM ET DE DISCORDIA INTER REGEM HENRICUM ET FILIUM EJUS. Orta est discordia inter regem Angliæ Henricum II et inter filium ejus Henricum tertium. Hinc tota turbatur Anglia, confunditur Normannia et Aquitantia cum minori Britannia. Insurgunt enim patres in filios, filii in parentes, dum quidam senioris, quidam junioris Regis partes fovere deliberant. Junior autem rex de viribus regis Franciæ et comitis Flandriæ maxime præsume-

bat. Quorum consilio fretus et auxilio crebras irruptiones fecit in Normanniam; quædam vero castella expugnavit, quædam se sponte ei dedere. In hac autem controversia occisus est Matheus comes Boloniæ, qui Mariam abbatissam desponsaverat filiam regis Stephani cum comitatu Boloniæ. Vulneratus est Phillippus frater ejus comes Flandriæ, comes Cestriæ captus, et quidam barones Britanniæ. Sed et reginam Alienor, quam ad rebellandum viro suo, regi videlicet seniori, Pictavenses sollicitaverant, idem rex fraudulentia et blandiciis circumventam cepit et in quadam turri includi fecit, facultatem aliquorsum egrediendi penitus denegans. Postea vero aliquanto temporis elapso, vigilia scilicet sancti Mauricii, ductu comitis Leicestriæ applicuerunt Flandrenses apud municipium Waltoniæ. Quod quum essent impotentes expugnare, patriam sævissime populatam relinquentes suscepti sunt a comite Hugone Bigod in Framelingheham. Consequenter invalescente motu et patria amplius turbata applicuit iterum Flandrense navigium. Comes vero Leircestiæ ex duobus jam appulsis navigiis fidentiorem componens exercitum, a Framelingeham usque in Gipeswicum transitum fecit; ibique per aliquot dies moratus, et sociatis sibi subsidiariis agminibus præfati Hugonis proficiscens inde invasit castellum quod dicitur Haghene. Illuc primis intromissus assultibus, eoque populato et incenso, necnon et prædatione completa, quisque ut nec viris execrandis resisterent ecclesiæ, nec in aliquo different matronali pudicitiæ aut virginitatis titulo, reversi sunt in Framelingeham. Auditisque rumoribus applicationis comitissæ Leicestriæ apud Oxford perrexerunt ei obviam. Ea vero suscepta et Flandrensibus qui cum ipsa applicuerant, proposuit comes Leicestriæ in propria remeare. Sed consulto divino inter sanctum Eadmundum et villulam quæ dicitur Sancti Martini de Tornham aggressi sunt eos milites Anglicani ex præcepto justiciariorum Regis Henrici secundi. Quibus congredientibus captus est comes cum comitissa, majorque pars Flandrensium interfecta, residua vero pars incarcerata.

Ricardus prior Dovræ elegitur ad archiepiscopatum Cantauriensem et Ricardus Pictavensis ad Wintoniensem; Galfridus ridet

ad Lincolnensem. Quorum tamen consecratio dilata est usque ad annum sequentem, minore rege reclamante et inhibente ne aliquis sine suo consensu consecraretur.

MoCLXXIIIIo. Flandrenses a comite Hugone accersiti in Angliam iterum advenerunt. Qui maxima multitudine stipatus universam circa se provinciam depopulabat. Sed et nobilem civitatem Norwic. primo impetu expugnavit, quibusdam civibus occisis, ac opulentissimam inde prædam reduxit. Interim comes David frater Regis Scotiæ, castellum de Huntingdune militibus et alimentorum subsidiis sufficienter munivit. Inde Leircestriam veniens associatis sibi oppidanis totam provinciam ferro flammisque turbavit prædas et direptiones agendo. Willielmus autem frater ejus, rex Scotiæ, hæc eadem in Northimbriam cum valido exercitu actitabat.

QUOMODO REX HENRICUS SECUNDUS ADIIT BEATUM THOMAM ET QUOMODO DE HOSTIBUS TRIUMPHAVIT.

Rex Henricus II audiens totam Angliam ita turbatam cum exercitu magno de Normannia transfretavit in Angliam VII idus Julii. Statimque Cantuariam adiens et optime recognoscens hæc omnia mala accidisse pro peccatis quæ commiserat in sanctum Domini, ante sepulchrum beati Thomæ se humiliter cum lacrimis prostravit, veniam de injuriis a se suisque sancto martyri illatis devote petiit, donaria obtulit, et majora promisit; unde miraculose contigit ut eadem die caperetur Willielmus rex Scotiæ apud Appelbi a militibus præfati regis. Audito autem regis adventu omnes adversarii ejus territi, cornu superbiæ deposito, pacem postulant et impetrant, prius tamen præstito juramento, datis et obsidibus, et traditis suis castellis. Regno igitur ad pacis statum in brevi revocato, iterum Normanniam petiit, filius siquidem ejus rex Henricus Tertius, rex Franciæ Lodowicus, et comes Flandriæ Rothomagum obsidione cinxerant. Sed quum regis inopinatum adventum comperissent, et conatus suos frustrari conspicerent, soluta obsidione recesserunt: exercitu suo fame et inedia pene deficiente. Reformata est postmodum concordia inter patrem et filium: sed et alii filii regis qui fratris

sui causa patri adversabantur, reconciliati sunt ei, scilicet Ricardus comes Pictavinus et Galfridus comes Britonum.

MoCLXXVo. MoCLXXVIo. Convenerunt archiepiscopi, episcopi, abbates, priores Anglicanæ ecclesiæ, II idus Martii, apud Westmonasterium, auctoritate Hugonis apostolicæ sedis legati concilium celebraturi. Congregatis itaque facta est contentio inter Ricardum Cantuariæ archiepiscopum et Rogerum Eboracensem, quis eorum sedis prorogativa alium in concilio præcederet; adeoque invaluit dissensio ut Eboracensis de sede quam præsumptuose occupaverat cum confusione et contumelia scissis et vestibus dejiceretur. Infecto igitur negotio pro quo advenerant singuli ad propria remearunt.

Rex Henricus II filiam suam Johannam Regi Siciliæ Willielmo matrimonii lege copulavit. Quo mortuo absque liberis ex ea susceptis, nupsit comiti de sancto Egidio tradente eam rege Ricardo fratre suo. Obiit Ricardus comes in Hybernia.

MoCoLXXVIIo. Henricus II rex Angliæ ordinem regularem in ecclesia Walthamensi instituit. Electi sunt autem canonici idem de tribus locis, scilicet de ecclesia sanctæ Osithæ et de Cicestria et de Osenele.

MoCLXXVIIIo. Res insignis memoriæ apud Jerosolimam acta est. Post quam Phillippus comes Flandriæ et Willielmus comes de Mandavilla terram Jerosolimorum ingressi sunt, post aliquantum temporis coacta omni militia civitatis Jerusalim profecti sunt ad expugnandam civitatem quæ dicitur Hareng. Quod ubi Solidanus Persarum comperit civitatem viris virtutis esse vacuam nec sibi posse resistere, circumquaque suppetias efflagitans nuntios direxit, et de victoria, nondum habita pugna, præsumens, terram nondum possessam exercitui suo per sortes distribuit. Coacta igitur multitudine non parva, usque ad sextum milliarium ab Ierusalem castra admovit, nostris adhuc re incognita. Post quam vero eis res innotuit, periculo jam propriore conterriti, plurimorum fluctuante sententia, an in civitate se obsideri permitterent, an obviam hostibus procederent; tandem communicato consilio, præcedente sanctæ crucis vexillo, de civitate exierunt, via

quingenti, ut nobis relatum est. Denique Dei virtute protecti, et præsentia sanctæ crucis magnifice roborati, ex tanta multitudine tam forti tantam stragem dederunt, ut vix relinquerentur in eis duo pariter. Plurimi ex eis capti, aliqui vulnerati, nonnulli occisi, cæteri fuga lapsi, posteris suæ perditionis opprobrium, et Christianæ virtutis reliquerunt experimentum.

ADDITIONES MONACHI DE COGESHALE.

Anno Gratiæ millesimo centesimo XIIIIo, rex Henricus senior anno regni sui decimo, filiam suam Matildem ex Matillide susceptam Henrico Alemannorum imperatori dedit in uxorem. Qui imperator, anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo XXIIo, anno regis Henrici XXII, in ipso ætatis suæ et victoriarum flore obiit. Successit ei Leodegarius, qui et Lotharius dicitur, annis *

Audiens Rex Henricus mortem Henrici imperatoris filiam suam revocavit. Qui primo sponsalicia quæ Willielmus nepos suus comes postea Flandriæ cum filia Fulconis comitis Andegavensis, postea regis Jerosolimorum contractus esse dicebatur, dissolvit et cassavit.

Anno XXIIIo regni sui rex Henricus Angliam venit, ducens secum filiam suam. Proximo vero natali Domini convocato apud Londoniam magno cleri et optimatum numero, omnes totius Angliæ optimates, episcopos, et abbates, sacramento adegit et obstrinxit, ut si ipse sine hærede masculo decederet,—filiam enim Ducis Loanensis uxorem duxerat, dolensque non concipere, dum et perpetuo sterilem timeret—Matillidem filiam suam quondam imperatricem, incunctanter, et sine ulla retractatione dominam susciperent. Juraverunt ergo cuncti quicumque in eodem concilio alicujus videbantur esse momenti, primo Willelmus Cantuariensis archiepiscopus, mox cæteri episcopi non minus abbates. Primus laicorum juravit David Rex Scotiæ, tunc Stephanus Moretonii comes et Bononiæ, nepos regis ex sorore Adala, mox Rober-

* The number is omitted in the MS. He reigned 13 years.

tus filius regis comes Gloecestriæ et post eum comites cæteri et barones.

Eodem anno rex mare transiit et discordatus est ei comes de Mellent; et anno sequenti Willielmus de Tanchervilla camerarius regis cepit prædictum comitem, et Hugonem de Munford, et Hugonem filium Gervasii, et tradidit eos regi: rex autem posuit eos in carcerem. Post Pentecosten vero rex filiam suam Gaufrido comiti Andegavensi, adolescenti magnæ nobilitatis, matrimonio conjunxit.

Anno trecesimo transivit rex in Normanniam, anno XXX primo rediit in Angliam. Eodem anno Lodowicus rex Francorum Philippum filium suum coronari fecit. Quo non multo post casu equi exanimato, alterum, scilicet Lodowicum, per manum pontificis Romani diademate insignivit. Is, ut ferunt, ab antiqua Francorum fortitudine non degenerans juri suo etiam Aquitaniam per uxoris dotale fœdus adquisivit, quam post Leodowicum Karoli magni filium in proprio donatu Francorum regis non habuisse noscuntur.

Anno XXXIIo regni sui rex Henricus pridie transacto nonas Augusti, quo die quondam apud Westmonasterium coronæ culmum acceperat, Normanniam navigavit. Ultimus ille fatalis quoque regis transitus fuit. Prosequuta sunt elementa dolore suo extremum tanti principis transitum. Nam et sol ipsa die, hora sexta, tetra ferrugine nitidum caput obtexit, mentes hominum eclipsi sua concutiens, et feria sexta proxima, primo mane, terræ motus magnus fuit. Mansit ergo triennis continuo rex in Normannia, et tanto plus quantum est inter nonas Augusti, quo die transivit, et calendas Decembris, qua nocte decessit. Regnavit annis XXXV, et tamen quantum est inter nonas Augusti et calendas Decembris. Obiit anno ab initio mundi, secundum septuaginta interpretes..., secundum Hebraicam veritatem VMCCCo, anno dominicæ incarnationis millesimo XXXoVo, ab adventu Britonum in Albionem IIMCCLXV ab adventu Anglorum in Britanniam DCCIII, ab adventu Normannorum in Angliam LXIX.

Hugo Bigod senescallus regis veniens in Angliam, coram

archiepiscopo Cantuariæ sacramento probavit quod, dum rex Henricus ageret in extremis, ortis quibusdam inimicitiis inter ipsum et imperatricem, ipsam exhæredavit, et Stephanum comitem Bononiæ et Moretonii hæredem instituit.

Stephanus comes Moretonii et Bononiæ, nepos regis, ut supra dixi, qui post regem Scotiæ primus laicorum fidem suam imperatrici obstrinxerat, in Angliam per Witsand maturavit adventum. Eoque die quo appulsus est in Angliam, summo mane gravaturam hiemis terricrepum sonum tonitrui cum horrendo fulgore fuit, ut paulominus mundus solvi estimaretur. Coronatus est ergo in regem Angliæ Stephanus apud Westmonasterium XIo calend. Januarii, dominica, XII die post decessum avunculi sui, anno Dominicæ incarnationis MoXXXoVo, tribus episcopis præsentibus, Willielmo archiepiscopo Cantuariensi, Henrico Wintoniensi, Rogero Sarisburiensi, nullis abbatibus, paucissimis optimatibus. Concessit rex Stephanus in die coronationis suæ primo, quod defunctorum episcoporum nunquam retineret ecclesias in manu sua, sed statim episcopis eas investiret; secundo, quod nullius silvas in manu sua retineret, sicut rex Henricus fecerat, singulis annis eos inplacitans, si in silvis propriis venationem cepissent, vel si eas ad necessitates suas extirparent vel diminuerent: tertio, quod Denegeldum, id est duos solidos ad hidam quos antecessores sui accipiebant, condonavit. Hæc Deo vovit et alia sed nihil horum tenuit.

Eodem anno David rex Scottorum dolo cepit duo castella, scilicet Novum Castellum et Carliol. Promovit igitur rex exercitum contra David; cui occurrens David concordatus est ei reddens ei Novum Castellum, Carliol vero concessione regis retinuit, et Henricus filius ejus homo regis Stephani effectus est. Deditque ei regis burgum quod notatur Huntendun.

Postea ad rogationes divulgatum est regem mortuum esse. Quod audiens Hugo Bigod castellum de Norewiz intravit nec reddere voluit nisi ipsi regi. Jam ergo cœpit rabies Normannorum perjurio et proditione pullulare. Cœpit ergo rex castellum de Habendune. Inde obsedit Exoniam quam sero cœpit et Baldevi-

num de Rivers exhæredavit. Inde Vectam insulam cepit.

Anno secundo rex Stephanus transfretavit in Normanniam, ubi omnia quæ incepit luculenter perfecit. Hostium circumventus reppulit; hostilia castra depulit; concordatus est cum rege Francorum Lodowico, et Eustachius filius ejus homo regis Francorum effectus est de Normannia. Hi duo anni regis Stephano prosperrimi fuerunt, tertius mediocris et intercisus, duo ultimi exitiales et prærupti. Rex Stephanus tertio anno regni sui in ingressu Angliæ, pervolavit ad Bedefordiam et in vigilia natalis Domini et in toto natali obsedit eam. Qua ei reddita in Scotiam promovit exercitum.

Rex namque Scottorum per suos execrabiliter egit. Mulieres namque gravidas findebant et fœtus anticipatos abstrahebant; pueros super acumina lancearum jactabant, presbyteros super altaria detruncabant, crucifixorum capita abscissa super cæsorum corpora ponebant, mortuorum vero capita mutuantes super crucifixa reponebant. Quæcumque Scotti attingebant, omnia erant plena horroris, plena immanitatis. Aderat clamor mulierum, ejulatus senum, morientium gemitus, viventium desperatio. Rex igitur Stephanus combussit et destruxit australes partes regni regis David.

Post pauca vero exarsit rabies proditorum nefanda. Quidam namque nomine Gaufridus Talebot tenuit castellum Herefordiæ contra regem; comes Robertus Bristove et multa alia; Willielmus Luvel Cari; Paganus filius Johannis Ludelawe; Willielmus de Moiun Dunstore; Robertus Nicole Corp; Eustacius filius Johannis Maltune; Willielmus filius Alani Salopesburiæ; Walkelinus Mammoth Doveram.

Occupato igitur rege circa partes australes Angliæ rex Scottorum innumerabilem exercitum promovit in Angliam; contra quem proceres borealis Angliæ, admonitione et jussu Turstani Eboracensis archiepiscopi, restiterunt viriliter fixo standardo, i. e. regio insigni, apud Alvertune, circum quod gens Anglorum et Normannorum mira acie conglobata persistebant immobiles. Percusso igitur sagitta summo duce Loenensium, corruit ipse et tota gens eorum in fugam conversa est. Quod videns acies

maxima Scottorum, quæ ex alia parte acerrime pugnabat, fugæ indulsit. Regalis acies hoc videns, primum singillatim postea catervatim rege jam solo persistente fugerunt, et rex consilio amicorum terga dedit. Undecim millia Scottorum occiderunt extra eos qui in segetibus et silvis inventi sunt perempti, pauco sanguine Anglorum fuso. Frater Gileberti de Laci ibi solus ex omnibus equitibus occisus est.

Anno Dominicæ incarnationis millesimo CXXXVIII, qui est tertius regni regis Stephani, intestinis dissidiis Anglia quatiebatur. Multi siquidem quos nobilitas generis vel magnitudo animi vel viridioris ætatis audacia ad illicita præcipitabat, a rege, hi prædia, hi castella, postremo quæcunque semel collibuisset petere non verebantur. Quæ quum ille dare differret, illi continuo contra castella obfirmantes, prædas ingentes ex ejus terris agebant. Nec vero ille aliquorum defectione frangebatur animo, sed modo hic, modo illic, subitus aderat, super suo magis quam resistentium damno rem conficiebat. Multis et magnis laboribus suis in cassum effusis, datis vel honoribus vel castellis, simulatam ad tempora pacem ab illis promerebat. Erant illi avidiores ad petundum et is profusior ad dandum; quod fama per Angliam volitabat quod comes Gloecestriæ Robertus, qui erat in Normannia, in proximo partes sororis foret adjuturus; rege tamen modo ante diffidato. Post Pentecosten missis a Normannia suis regi more majorum amicitiam et fidem interdixit, homagio etiam abdicato; quod et rex illicite ad regnum aspiraverat et omnem fidem sibi juratam neglexerat, ne dicam mentitus fuerat. Rex ægre ferens comitis magnanimitatem omnibus eum possessionibus in Anglia privavit et quædam ejus castella complanavit. Solum Bristowe remansit ut non solum hostes vi repelleret sed etiam crebris incursionibus fatigaret.

Anno Dominicæ incarnationis MCoXXXoIXo, ferebantur in Anglia rumores venturum e Normannia comitem Robertum cum sorore imperatrice. Qua spe quum multi a rege non solum animo sed et facto deficerent, plures pro sola suspicione diversarum contra se partium in curia contra decus regium captos et ad redditio-

nem castellorum et ad quascumque voluit conditiones adduxit, et præ cæteris nobiles episcopos Rogerum Salisburiensem et nepotem suum Alexandrum Lindecoliensem apud Oxenfordiam cepit, donec claves castellorum suorum traderent. Ita Rogerum episcopum absque vinculis et nepotem ejus compeditum duxit ad Divisas. In ipsa obsessione castella Salesburiæ, Scireburniæ, Malmesburiæ, regi data; ipsæ Divisæ post triduum redditæ, quum sibi ultroneum jejunium episcopus indixisset, ut hæc angustia sua animositatem episcopi Eliensis qui eas occupaverat flecteret. Nec episcopus Lindecoliensis obstinatus egit, redditione castelli libertatem mercatus.

Pridie calendarum Octobrium comes Robertus tandem nexus morarum eluctatus cum sorore imperatrice evectus est Angliæ cum centum XL militibus.

Anno quinto regni sui rex Stephanus Gaufridum de Magna Villa et Albericum de Ver cepit in curia apud sanctum Albanum et ad redditionem castellorum suorum coegit. Redditque Gaufridus de Magna Villa turrim Londoniæ. Waledene plexit Albericus de Ver solum castellum de Eaneueles Itamgeham et Campes sibi retinens.

Eodem anno Gaufridus comes Andegavensis receptus Rothomagi turrim obsedit et cepit, et ex tunc dux Normannorum appellatus est.

Anno sexto regni sui rex Stephanus cepit in curia sua Ranulfum comitem Cestriæ et coronatus est Lincolniæ.

Anno Dominicæ incarnationis MCXLII, rex Stephanus ante natale Domini a Lindecolina provincia pacifice abscesserat comitemque Cestriæ Ranulfum et ejus fratrem honoribus auxerat. Cives interim Lindecolinæ civitatis mandaveruut regi Londoniæ manenti ambos fratres in castello ejusdem urbis securos resedisse seque daturos operam ut quasi occultissime rex castello potiatur; rex vero lætus eo contendit. Ita fratres circumventi et obsessi sunt in ipsis natalis dominici feriis, qui in nullo regem offenderant. Porro comes Cestrensis, quamvis ancipiti periculo involutus, probe tamen castelli angustias evasit. Qui de salute fratris et uxoris quos in castello reliquerat sollicitus flagitavit a comite Glocestriæ auxilium, cujus filiam a tempore regis Henrici uxorem duxerat;

quamvis animum ejus jamdudum nonnullis ex causis offendisset, maxime quod in neutro latere fidus esse videretur, pactus imperatici perpetuam fidelitatem, si respectu pietatis periclitantes qui in ipsis captionis faucibus tenebantur eximeret injuriæ. Non habuit comes Gloecestriæ difficiles aures indignitatem rei non ferens. Ulciscendi causa et filiam simulque necessitates suas liberandi dedit se discrimini. Comitati sunt eum impigre suæ fautores partis, quorum erat major exhæredatorum numerus. Toto itinere quod protenditur a Gloecestria in Lindecolinum, comes callide assimulavit quibus ambagibus totum exercitum præter paucissimos suspendens. Et quum die purificationis ad fluvium quod vocatur Trente veniret, tunc demum genero qui cum manu valida occurrerat et cæteris quos ductaverat detegit animum. Cunctis igitur propositum ejus laudantibus, illico perducti rapacitatem fluminis cum omnibus suis nando transgressus est. Rex cum comitibus quamplnribus et non inerti militum copia, bello se animose, intermissa obsidione, obtulit. At ut viderunt regales quod consulares non lanceis sed gladiis inter gererent, et infestis viribus vexillis aciem regalem perrumperent, fuga sibi omnes ad unum comites consulere. Pauci barones prædicandæ fidei et fortitudinis capti. Rex ipse, quamvis ad se defendendum non ei defuisset animus, tandem a militibus comitis Gloecestriæ circumquaque aggressus, ictu lapidis cujusdam terræ procubuit. Ita omnibus circa se vel captis vel fugatis cedendum pro tempore et teneri sustinuit.

Rex imperatrici a fratre præsentatus Gleocestriæ, post ad Bristowe ductus, et ibi honorifice præter progrediendi facilitatem servatus est primo, postea annulis ferreis innodatus est. Interim imperatrix et comes apud legatum fratrem ejus, episcopum scilicet Wintoniæ, nunciis egerunt ut ipsam tanquam regis Henrici filiam et cui omnis Anglia et Normannia jurata fuerat, in ecclesiam et regnum reciperet. Post juravit et affidavit imperatrix episcopo quod omnia majora negotia regni, præcipueque donationes episcopatuum et abbatiarum ejus nutum spectarent, si eam ipse in sancta ecclesia in dominam reciperet et perpetuam fidelitatem

teneret. Idem juraverunt et affidaverunt Robertus comes Gloecestriæ et Brianus de Wallingeford. Milo postea comes Herefordiæ et nonnulli alii. Nec dubitavit episcopus, imperatricem in dominam Angliæ recipere et ei affidare quod ipsa pactum non infringeret, ipse quoque ei fidem custodiret. Crastino, quod fuit quinto nonas Martii, honorifica sancta processione recepta est in ecclesia episcopatus Wintoniæ. Paucis post diebus archiepiscopi Cantuariæ Theobaldi et omnium episcoporum Angliæ et multorum abbatum legato præsente Wintoniæ ingenti adparatu celebratum in quo excommunicaverunt multos qui regiarum erant partium et nominatim Willielmum Martellum. Pleraque pars Angliæ dignanter dominatum imperatricis suscipiebat. Tantæ fuit molis Londoniensium animos permulcere posse, ut vix paucis diebus ante nativitatem beati Johannis, imperatricem susciperent. Nec multis post diebus surrexit simultas inter legatum et imperatricem. Legatus comitatum Bononiensem et Moritoniensem nepoti suo Eustachio jure dandum destinavit, dum pater in carcere teneretur, imperatrice prorsus abnuente. Qua ille offensus injuria multis diebus ab ejus abstinuit curia. Interea lacrimis et satisfactione reginæ fratris uxore infractus ad liberationem germani animum intendit, omnesque quos excommunicaverat inconsultis episcopis absolvit. Imperatrix legatum nihil molle ad suas partes cogitare intelligens, Wintoniæ venit: illic intra castellum regium recepta est. Statim legatus propter omnes misit quos regi fauturos sciebat. Venerunt ergo omnes fere comites Angliæ; erant omnes juvenes et leves et qui mallent equitationum discursus quam pacem. Præterea plures eorum confusi quod regem bellantem deseruerant, conventu illo fugæ suæ opprobrium lenire conabantur. Pauci cum imperatrice convenerant, rex Scotiæ David, Robertus comes Gloecestriæ, Milo Herefordiæ et barones pauci; Ranulfus comes Cestriæ tarde et inutiliter venit. Et ut magnam seriem rerum brevi verborum compendio explicem, a regina et comitibus qui venerant foras muros Wintoniæ obseratæ sunt viæ ne victualia imperatricis fidelibus inferrentur. Comes interea Gloecestriæ indignitatem rei ultra non ferens se suosque obsideri et fortunam in

alteros declinare, cedendum tempori ratus, compositis ordinibus discessiouem paravit, in primo agmine sororem præmittens cum reliquis ipse cum paucis qui auderent cum animis multos non timere, lente progreditur. Quapropter comitibus confestim insequutis, dum et ipse fugere pudori et citra dignitatem estimat, solus ab omnibus impetitur et captus est. Cæteri cum summa festinatione Divisas pervenerunt.

Nonnullis miraculis exemplum et multorum materia sermonum fuit in Anglia, quod rex dominica in Dominæ nostræ purificatione ita comes dominica in mirificæ crucis exaltatione unam eandemque sortem experti sunt. Et ad ultimum eo modo res ventilata est ut æquis conditionibus rex et ipse absolverentur nullo pacto alio introveniente nisi ut quisque partes suas pro posse sicut et superius tutaretur.

Anno Dom. incarnationis MCXIIII habuit consilium cum suis imperatrix quoniam scilicet pro comite Andegavensi mitteretur qui conjugis et filiorum in Anglia hæreditatem jure defensitare deberet. Missi sunt ergo spectabiles viri quibus comes multa impedimenta objecit, inter quæ quod rebellione multorum castellorum in Normannia detineretur. Cæterum solum comitem Gloecestriæ Robertum ex omnibus recognoscere, ejusque prudentiam et fidem, magnanimitatem et industriam probatam jam olim habuisse. Is si ad eum transito mari adveniat voluntati ejus se pro posse non defuturum; alioquin cæteros in eundo et redeundo frustra laborem consumpturos. Nuncii ex Andegavis redeuntes imperatrici et principibus audita reportant. Ita omnium audientium spebus erectis ad comitem preces versæ ut hunc laborem pro sororis et nepotum hæreditate dignaretur. Favens tandem licet invitus omnium unanimi voluntati, obsides poposcit singillatim ab optimatibus secum in Normanniam ducendos, vadesque futuros tam comiti Andegavensi quam imperatrici, quod omnes junctis umbonibus ab ea, dum ipse abesset, injurias propulsarent, vicibus suis apud Oxoniam manentes. Acclamatum est sententiæ datique obsides in Normanniam ducendi.

Robertus ergo valefaciens sorori, ductis secum obsidibus, quam citius potuit Cadomum venit, comitemque Andegavensem per nuncios accersivit. Venit ille non aspernanter et auditæ legationi multa impedimenta objecit, ut superius, sed comes, ut Andegavensem omni occasione nudaret, cum eo decem castella in Normannia expugnavit. Andegavensis vero et alias occasiones prioribus solutis substituit. Magni sane loco beneficii filium suum ex imperatrice primogenitum Henricum avunculo in Angliam concessit ducendum, cujus intuitu proceres justi hæredis partes propugnare animarentur.

Interea rex in Anglia comitis absentiam aucupatus subito ad Warran veniens et vacuum propugnatoribus offendens, succenso et deprædato vico, statim etiam castello potitus est, quod jam dudum comes commiserat filio suo primogenito Willielmo. Nec eo contentus inopinato casu tribus diebus ante festum sancti Michaelis Oxenfordiam civitatem concremavit, et castellum in quo cum suis domesticis militibus imperatrix erat obsedit. His rumoribus in Normannia disseminatis, comes Robertus reditum maturavit. Trecentos itaque milites et aliquanto plures, quorum tamen numerus ad quadringentos non pervenit, quinquaginta duabus navibus impositos ad locum unde regressus fuerat revertitur, ut quem per violentiam amiserat vi recuperaret. Statim ergo portu et vico in potestatem subactis castellum obsedit, scilicet de Warram, quod post paucos dies recepit. Eodem impetu insulam Portland, quam incastellaverant, subegit, et tertium cujus nomen Lulleswrthe armis perdomuit. Inde omnes fautores imperatricis ad Cirecestriam convocavit. Ibi igitur ad dominæ suæ succurrendum omnibus viribus conspirati profectionem ad Oxenfordiam meditabantur infensis mentibus cum rege nisi abscederet prœliatum iri. Enimvero jam progressis plausibile nuncium allatum est, egressam imperatricem de obsesso castello Oxenfordiæ et apud Wallingeford tuto manere.

Anno Dominicæ incarnationis MCLXIXo, qui fuit annus regni regis Stephani XIIIIus, Henricus filius primogenitus Gaufredi Plantagenest comitis Andegaviæ, cingulo militari donatus est a

rege Scotiæ David, in festo Pentecostes apud Carliul. Secundo post hunc anno, Dominicæ scilicet incarnationis MCL, everso monasteriolo quod tribus annis obsedit Gaufridus Plantagenest, reddidit ducatum Normanniæ Henrico filio suo, et Lodowicus rex Franciæ homagium Henrici filii Gaufridi Plantagenest de ducatu Normanniæ et comitatu Andegaviæ accepit. Et dum Gaufridus Plantagenest comes Andegaviæ rediret Parisios a curia regis Franciæ, concessit in fata.

Anno Dominicæ incarnationis MCLo, mortuo Conrado imperatore Romano, Fredericus nepos Conradi fit imperator. Eodem anno celebratum est divortium inter regem Franciæ et Alienor reginam, et duxit eam Henricus dux Normanniæ et comes Andegaviæ et sic factus est dux Aquitanorum.

Anno Dominicæ incarnationis MCLII, Henricus dux Normanniæ intravit Angliam in manu valida et castellum de Maumebri obsedit et obsessos ad deditionem coegit. Eodem anno, mortuo David rege Scottorum, successit ei Malcolmus nepos ejus, sed et Eustachius filius regis Stephani mortuus est et Anastasius papa.

Anno Dominicæ incarnationis MCLIII, facta est pax inter regem Stephanum et Henricum ducem Normanniæ, et rex Stephanus Henricum ducem in filium arrogavit; et etiam in eum jus suum transtulit et potestatem; sibi vero quoad vixit regiæ dignitatis solam imaginem reservavit. Munitiones suis fundatæ temporibus dirutæ sunt, quarum numerus usque ad undecies CXV excrevit.

Anno incarnationis MCLIIII, Lodowicus rex Franciæ duxit uxorem filiam Aldefunsi regis Hispaniarum, quem, quod principatur regulis Arragonum et Galiciæ, imperatorem Hispaniarum appellabant.

Eodem anno, VIIIo kalendas Novembris rex Stephanus obiit. Quo audito dux Normanniæ Henricus VIIo Idus Decembris in Angliam veniens, XIIII kalendas Januarii, die Dominica, apud

Westmonasterium in regem unctus est a Theobaldo Cantuariæ archiepiscopo, præsente Rogero archiepiscopo Eboracensi et manus non apponente. Eodem anno Thomas Cantuariæ archidiaconus Henrici Regis factus est cancellarius.

Anno incarnationis MCLV, natus est Londoniæ Henricus regis Henrici secundi filius pridie Kalendas Martii, feria sexta.

Anno sequenti nata est eidem regi apud Londonias filia nomine Matildis. Item: Anno incarnationis MCLVII apud Oxoniam regina Alienor peperit filium Ricardum. Item: Anno incarnationis MCLVIII, regina Alienor peperit filium Gaufridum nomine. Justinianus Magnus imperium anno Dominicæ incarnationis DXXXo IIIIo imperavit annis XXXVIII et diebus XI. Qui in causis civilibus mirificus extitit et bella prospere gessit plurimasque gentes belli jure compressit. Quamobrem ut Alemannicus, Geticus, Atticus, Alanicus, Francicus, Wandalicus, Africanus quod diceretur habere agnomina meruit. Hic quoque leges Romanorum quarum prolixitas nimia erat et multa dissonantia mirabili brevitate correxit. Nam constitutiones principum quæ utique in multis voluminibus habebantur intra XII libros coartavit idemque volumen codicem Justinianeum appellari præcepit. Rursum quod singulorum magistratuum sive judicum leges quæ usque ad IIM pene libros erant extentæ intra L librorum numerum redegit, eumque codicem Digestorum sive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit; novasque leges quas ipse statuerat in unum volumen redactas codicem Novellam nuncupari sancivit.

Extruxit quoque idem princeps intra urbem Constantinopolim Christo Domino qui est sapientia Dei Patris templum quod Græco vocabulo Agyam Sophiam, id est sanctam sapientiam nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit ut in totis terrarum spatiis huic simile non possit inveniri: construxit autem eam ecclesiam primitus Constantius Magnus: temporibus vero Theodosii Magni in secunda synodo quæque facta est in Constantinopoli fecerunt Arriani seditionem et combusserunt tectum ecclesiæ ipsius stabatque discooperta duobus annis. Tunc præcepit Theodosius Magnus

imperator Rufino magistro suo et texit eam rotundis marmoribus. Temporibus autem Justiniani Magni, in quinto anno imperii sui, post interfectionem quæ facta fuit in hippodromo, in quo fuerunt interfecti XXXVM hominum, inspiravit Deus mentem suam ut ædificaret tale templum quale non fuit constructum ab Adam usque in hodiernum diem. Constituit autem Justinianus magistros de omni arte centum; habebat unus quisque eorum operarios centum; factique sunt omnes fabricatores XM. Quinque millia ædificabant dextram partem templi, et VM sinistram, ut venirent cum festinatione et construerent opus cito, quod construxerunt per annos IX, duobus mensibus minus. Quumque constructum esset templum, intravit imperator in templum cum pontifice, et currens ascendit solus in lectorium, levansque manus suas sursum dixit, "Gloria Deo qui dignum dixit me perficere hoc opus." Et dixit iterum, "Vici te, Salomon."

Erat itaque Justianianus imperator fide catholicus, in operibus rectus, in judiciis justus, ideoque ei omnia concurrebant in votum. Cujus imperii anno quinto decimo extitit Agapitus Romanæ ecclesiæ pontifex, ut supra diximus, qui Constantinopoli celebravit sanctam quintam Synodum contra Severum et Julianum hæreticos. In qua synodo Antimum Constantinopolitanum episcopum hæreticis faventem degradavit. Agapito mortuo promotus est Romæ papa Silverius annis V. Post hæc Justinianus imperator, XXXo imperii sui anno, ab Anthimo supra dicto episcopo seductus cœpit declinare a catholica fide: unde misit epistolam Silverio papæ ita inquiens, "Aut ad nos ne pigriteris venire, aut revoca Anthimum episcopum in locum suum." Quod quum facere recusâsset, Silverium indignata Augusta Constantinopoleos apocrisarium et fecit Silverium indui tunica monachili et apud Pontianam insulam exilio deportari. Vigilius quoque ei successit annis XVII, mensibus VI, diebus XXVI, cui Theodosia mandavit Angusta ut Anthimum revocaret in locum suum. At Vigilius ei rescripsit "Quomodo, domina Augusta, hominem hæreticum in sedem suam revocare possim qui merito in sua damnatus est nequitia?" Quod quum audîsset regina, vi præcepit ad se eum

produci. Cui fertur papa Vigilius dixisse, "Ut video, non me fecerunt ad se venire Justinianus et Theodosia, sed Dioclisianus et Eleutheria." Porro Romæ pro Vigilio ordinatus est papa Pelagius LXXIIIus episcopus; qui rexit ecclesiam annis quatuor, mensibus X, diebus XV. Interea Justinianus dum aurem cordis a mandatis divinis avertit, justo Dei judicio amentiam incurrit, decessitque anno imperii sui XXXVIIIo et mense VIIo. Hujus temporibus floruerunt Cassiodorus, qui primitus consul, deinde salva, ad postremum vero monachus extitit. Dionisius abba in urbe Roma, qui Paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Priscianus grammaticus hoc tempore extitit et Arator poeta et sanctus Benedictus abbas.